


E. № 1

1) Schulz, De naevis nonnullis Socianorum 1778.

2) J. Schultz, De geometria acustica 1775. 1787. –

3) Reusch, Meditationes physicae 1772

4) Tortilovius, De juribus, quae per aggressoris occisionem defendere licet.

Königsberg, [illegible]
[illegible]

COMMENTATIO THEOLOGICA
DE
NAEVIS NONNVLLIS SOCINIANORVM IN HERMENEVTICA SACRA,

CVIVS

SECTIONEM II.

PRO LOCO PROFESSORIS THEOLOGIAE ORDINARII
EX STATVTIS ACADEMICIS RITE SIBI VINDICANDO
PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI
SVBMITTIT

D. IOHANNES ERNESTVS
SCHVLZ,

S. R. M. BOR. A CONCION. AVL. PRIMARIVS, SVPERINTENDENS
BORVSSIAE ORIENTALIS GENERALIS, CONSISTORIO
A CONSILIIS ET PROF. THEOL. ORDINARIVS

DIE II. OCTOBRIS HH. L. Q. SS.

RESPONDENTE

CHRISTLIEB LEBRECHT AVGAR, IVDITTEN AD REGIOM. BOR. SS. TH. C.

CONTRA OPPONENTES

IOHANNEM GVILIELMVM ZITTERLAND, REGIOM. BOR. SS. TH. C.
ET
IOHANN. CHRISTIANVM FRIDER. SCHVLTZ, ANCL. POMER. SS. TH. C.

REGIOMONTI,
TYPIS S. R. M. ET VNIVERS. TYPOGRAPH. G. L. HARTVNGII.
MDCCLXXVIII.

AVGVSTISSIMO,

SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

FRIDERICO

REGI BORVSSIAE,

MARCHIONI BRANDENBVRGICO,

S. R. I. ARCHICAMERARIO ET PRINCIPI

ELECTORI,

SVPREMO SILESIAE DVCI

ETC. ETC. ETC.

PATRI PATRIAE, HEROI, MVSARVM
STATORI, REGI ATQVE DOMINO SVO
LONGE CLEMENTISSIMO

PERPETVAM OMNIS GENERIS SALVTEM
ATQVE FELICITATEM
ANIMO MAXIME SVBMISSO
AC DEVOTO
PRECATVR

IOHANNES ERNESTVS SCHVLZ.




SECTIO II.

Materiam ipſam tractans.

§. VIII.

Iam quaedam ad Hermeneuticam S. Socinianorum propius facientia et quaſi arcem cauſſae concernentia tangere fas erit, duabus tantum adhuc obſeruatiunculis praemiſſis. Altera de conſenſu vel diſſenſu, quo Socini aſſeclae ſibi vel mutuo conſpirant, vel a ſe inuicem diſcrepant, nonnulla dicet. *R. Simonius* quidem contendit, ipſos non niſi alium ex alio deſcribere et ea modo, quae ex Socino anteſignano hauſere, propinare ſolere. Sic enim ait p. 852. l. c. *Les Vnitaires qui ont ecrit ſur les livres du N. T. après Socin et Crellius leur ſont fort inferieurs, tant pour l'eſprit que pour la capacité. — Il eſt vrai que les nouveaux Antitrinitaires principalement ceux qui ont ecrit depuis Socin, n'ont gueres conſulté d'autres livres, que le texte de l'ecriture et les ouvrages de ceux de leur ſecte, qu'ils n'ont fait que copier et aiuſter à leurs idees.* Certe non prorſus a vero deflectit. Plurimis hoc vbiuis fere ſolet eſſe commune, vt addiſcant iuuenes quod cecinere ſenes, ſiquidem multo facilius eſt, praeſidiis iam paratis vti, et ſententiam ſpecie ſaltem munitam ad defendendum receptam tueri, quam quae tradita ſunt vlteriori disquiſitione dextre

ac ſtrenue indagare, ſicque modeſte dubitando et ſollicite ſcrutando viam ad veritatis amplexum ſibi ſternere. Vnitarios quoque in palmariis dogmatibus, quae ſymbolum ipſorum quaſi diacriticum efficiunt, ſtatuendis, maximo ſibi concentu iungi, ſcripta illorum ſatis declarant. Verum et exallatis patet, et ex adferendis patebit, ipſos non ſemper iunctis manibus incedere. Et cum tam in explicandis dictis, quibus dogmata ſua superſtruere conantur, quam in defendendis doctrinis, quas ad ſyſtema ſuum condendum adſciſcere neceſſarium duxerunt, non minima inter ſe diuortia faciant, non immerito inde inferri poſſe putem, cauſſam ipſorum haud inconcuſſam ſtare. Sic enim palam fit, inter illos ipſos quosdam fuiſſe, qui infirmitatem argumentorum pro dogmatibus ſuis ſtabiliendis allatorum perſenſere et ad alia ſaepius adhuc infirmiora praeſidia confugere ſatius duxerunt. Haec vero cauſſae ipſorum non optime patrocinantur, potius non ſine ratione male de ea ſuſpicari ſuadent. Exemplum ſubiungam. Alii illorum το αναβαινειν εις τον ȣρανον, ειναι εν ȣρανῳ, quod Chriſtus de ſe praedicat, per piam rerum coeleſtium meditationem explicant, alii vero illorum interpretationem hanc iuſto longius arceſſitam et verbis inuits illatam falſam reiiciunt, omnem ſermonis nexum docere, verba de vera ſui in coeleſtibus exiſtentia explicanda eſſe, contendunt. Sed veritati ſic cedere coacti aliud ſibi fingunt praeſidium, ne Chriſtum ante natiuitatem ex Maria exſtitiſſe credere velint, et de raptu Chriſti in coelum, antequam publice docendi munus adiret, facto profari ſolent. Simul et hinc patet, ſi iuſte de eorum doctrina ſentire velis, non ſufficere, vnum alterumue ex illorum ſcriptis deguſtaſſe, ſed neceſſarium eſſe, plura eius generis legiſſe.

Altera hic inſerenda obſeruatio docebit, ſi quis ex coniectura haud improbabili de Socinianorum ſyſtemate iudicium ferre velit. non deeſſe, quae perſuadere poſſent, totum illud hypotheſi praeconceptae, quam pro virili defendere ſtatutum fuit, originem ſuam debere. In confeſſo enim eſt, ipſis Vnitariis conſentientibus, veram religionis indolem ex ſacris literis iisdemque rite explicatis promi debere, harumque explicationem legitimam absque egregia Hebraicarum et Graecarum literarum notitia inſtitui non poſſe. Hac vero ſi Socinus ipſe, qui ſequacibus facem praetulit,


deſti-

destitutus fuit, iure coniicere licebit, ipsum in proferendo suo religionis systemate plus suo ipsius ingenio indulsisse, quam eum quidem decet, qui veram religionis Christianae formam ex primis eiusdem fontibus haurire debet eamque inde hausisse videri vult. Vide igitur suam ipsius confessionem, num praesidiis hisce necessariis rite instructus ad negotium hoc accesserit. *Quod vero ais*, scribit in *responsione ad defensionem Francisci Puccii p.* 49. (q) *supellectilem meam Hebraeam et Graecam, vt te perterrefacerem, proferre opus non fuisse, quo consilio id dicas, plane equidem ignoro; cum te ipsum latere non possit, eiusmodi meam supellectilem non valde curtam modo, sed propemodum nullam esse. Graecos enim fontes, vt egomet omnibus dico, leuiter admodum degustaui; Hebraeos vixdum attigi. Sed cum diuina oracula, quae nobis diligentissime et religiosissime expendenda et tractanda sunt, Hebraeis et Graecis litteris fuerint consignata, necesse est, cum de sententia aliquorum verborum dubitatio incidit, Hebraeum aut Graecum exemplar consulere, et quatenus doctissimorum virorum ope, et nostro simul iudicio atque ingenio progredi possumus, secundum eorundem exemplarium veritatem locum interpretari: quod sine accurata ipsorum verborum examinatione fieri nequit. Quare et id antehac a me factum est, et posthac, si se occasio obtulerit, non cunctanter fiet: nec metuo, ne apud aequos lectores in ostentationis crimen incurram, dum modo, de quibus asseuerauero, aut vera aut saltem probabilia esse deprehendantur. Ab hac autem quasi leui quadam expostulatione ad grauissimam calumniam sensim delaberis, dum affirmare non dubitas, tibi nunc constare, quod prius non putaueras, me parum curare, an bene an male de huiuscemodi rebus sentiam, vt qui mihi finxerim pietatem quandam nouam, in qua bene sentire facile negligitur, et summa licentia detorquendi sacras literas ad libitum, et quidlibet ex quolibet colligendi vsurpatur.* Forte hic quaedam modestiae Socini tribuenda esse videntur, vtpote qui non raro fontes ipsos nec semper infeliciter rimatur.

§. IX.

In *critica* codicis sacri tractatione Socinianos se nec eos gessisse, nec gerere potuisse, qui sibi de virorum in hac arte iusta peritia et circumspe-

(q) Racouiae 610, 4. edita ad manus fuit.



ctione verſatorum applauſu gratulari poſſint, temporis illorum conditio docet, et facillime hoc iis condonari poteſt, niſi id excipere velis, quod interdum nimia temeritate ſibi in hac parte iuſto plura indulſerint. Vbi enim labores critici, quibus Millii, Wettſtenii, Bengelii, Kennicotti, Telleri, Michaeles, Erneſtii, Semleri, Griesbachii, Lilienthalii rel. deſudarunt, adhuc defuerunt, vbi egregiae inſtitutiones, quibus et viri laudati et varii poſt iſtos multo meliora docentes artem hanc optimis fimiſſimisque praeſidiis, quibus hodienum viget, inſtruxerunt, prorſus latebant; parum in ea parte proficere poterant. Proinde in criſi ſacra hoc agere ſolent, vt loca, quae recentiorum criticorum manus expolire conantur, plane non tangant ſed genuina admittant, vt interdum ad verſionem LXX, ad Syriacam, Vulgatam, ad Biblia Complutenſia, ad Eraſmum, Bezam, Vatablum aliosque prouocent in eorumque lectione et ſententia acquieſcant, vt manuſcriptorum codicum graecorum lectionibus ſemper primas tribuant, quorum plures ex latinis mendoſe correctos eſſe poſteriori tempore euictum eſt, vt eos omnes in hac illaue lectione conſentire affirment, id quod vero non ſemper ſufficiente auctoritate ſuffulti perhibent, vt pro lubitu et coniectura critica ſaepe fallaci hoc vel alio modo legendum eſſe dictitent. Plerumque vero criticas diſquiſitiones leuiter tactas dimittunt, et ſatis factum eſſe volunt, ſi monſtrent, ſententiam ſuam ſtare poſſe, quaecunque admittatur lectio. (r) Iam ſpecimina quaedam dabimus. *Catech. Racou.* p. 101. ad dictum Iudae v. 5. haec habet: Das wörtlein Jeſus wird in keinem Griechiſchen text gefunden, ſondern an des ſtelle wird überal das wörtlein Herr geleſen, wie es auch alſo die teutſche Verſion hat. *Eniedinus* ad Pſ. XXII. 17. p. 63. 64. haec ſcribit: *Vt taceam, lectionem textus*

(r) Tangit haec *R. Simon* in lib. cit. ch. 56. p. 834. vbi de Socino inquit: *Cependant la plûpart de ſes nouvelles interpretations de l'ecriture, ſur lesquelles roulent ſes opinions, ſont tirées du Grec et de l'Ebreu. Mais il avoit plus lu les interpretes et les traducteurs de ces derniers tems que les originaux, comme il paroit de ſes ouvrages. On y trouve ſouvent les noms d'Eraſme, de Vatable, ou Robert Etienne, de Caſtalio, de Beze et d'Arias Montanus. Il choiſit dans ces auteurs ce qui s'accommode le mieux avec ſes preiugez. On doit neanmoins luy rendre cette iuſtice, que lorsqu'il ne s'agit, que d'un point de pure critique, il ne manque ordinairement ni de bons ſens, ni d'application et il enchêrit même quelque fois ſur les autres critiques.*


textus biblici hic variare, et Hebraeos codices aliter hodie hunc locum scriptum habere. Quorum fidem secutus Vatablus, sic hunc locum vertit: ceu leo *(scilicet cinxerunt vel momorderunt) manus meas et pedes meos. Quae lectio inde quoque confirmatur, quod illud supplicii genus, quo in cruce manus et pedes perforari solent, non modo non vsitatum, sed ne cognitum quidem aut auditum fuit ea tempestate apud Israelitas.* Idem ad 1 Petr. III. 19. p. 418: *Dicimus*, inquit, *lectionem hic variare. Vetus enim interpres non legit Spiritibus sed Spiritu, ita vt Christus non dicatur* Spiritibus *praedicasse, sed venisse aut praedicasse* Spiritu. *Confirmatur hoc ex ex eo, quod Erasmus annotat, in vtroque Constantiensi codice scriptum fuisse* spiritualiter. *Nimirum, quia ablatiuus casus cum expressa aut subintellecta praepositione* in *saepe pro aduerbio qualitatis ponitur.* Quia et alia critica ad hunc locum tractat, simulque quaedam adfert, quae a probabili loci huius sensu non prorsus absona videntur, plura ex eodem ad hunc locum addemus. Pergit p. 419: *1 Ioh. IV. aliquoties homines viui apellantur spiritus. Denique cum spiritus et anima saepe idem significent, et alterum pro altero ponatur, atque anima saepe totum hominem denotet: non est absurdum, voce quoque Spiritus idem denotari. Qui hic vocantur spiritus iidem cap. IV. 6. vocantur mortui, sed qua idololatrae veri Dei cognitione carentes et scelerati homines. Matth. IV. Luc. I. 79. Eph. II. Adde quod hi non simpliciter vocantur spiritus, sed spiritus in carcere conclusi. — Sciendum est, verba apostoli ita esse interpungenda, vt distinctio ponatur, non post vocem* praedicauit, *sed post dictionem* aliquando, *vbi* τελεια ςιγμη *collocanda est. Haec distinctio extat in editione Argentinensi Graeca, Cephalaei Anno* 1524. *Sensus enim verborum Petri est, Gentes fuisse immorigeras et infideles olim, hoc est, sub veteri Testamento, et viuo etiam ac versante in terris Christo. Sed postquam est mortuus Iesus et per spiritum sanctum resurrexit, in coelum ascendit, et spiritum sanctum in suos effudit, tum praedicauit Gentibus quoque, et euangelium per spiritum, illum, per quem et ipse viuificatus erat, infidelibus annunciauit. Iam vero quod sequitur:* Quando expectabant etc. *alio pertinet, et non ad praecedentia, sed sequentia referri debet. Cuius sententia haec est. Sicut in diebus Noe, cum expectaretur Dei lenitas, et appararetur arca, paucae, hoc*



est, octo animae, seruatae sunt: ita ad illius arcae formam saluos facit credentes, verum paucos, reliquias tantum scilicet, baptismus. In qua expositione non videtur alia inesse difficultas, nisi quod similitudinis vox, per Ellipsin omissa, subintelligi debet. Sed hanc orationem Petri ellipticam esse etiam Caluinus in Psychopannichia testatur; et satis vsitatum est, vt in comparationibus, alterutra vox similitudinis desideretur, vt Math. VI. 10. Marc. III. 25. Gal. III. 7. vt Beza annotauit. Non est ergo mirum, neque inusitatum, si etiam nos, ante vocem ὅτε, *subintelligamus* ὥσπερ, *aut aut aliquid simile. — Etiam illud hoc loco obseruari potest: veterem interpretem, pro eo quod nunc legitur:* Quod et nos nunc similis formae etc. *loco* nos *legisse* vos. *Quae lectio videtur aptior. Loquitur enim apostolus de Gentibus. Si autem legatur* nos: *credendum est, apostolum more solito se coniungere cum gentibus. Aut etiam potest de solis Judaeis accipi. Postquam enim de gentibus est locutus apostolus, de Judaeis addit: Quemadmodum in diluuio paucae animae saluatae sunt in arca: ita pauci Judaeï per Baptisma salui sunt facti, vt hoc idem sit cum illo Pauli dicto Rom. IX. 27.* Idem *Eniedinus* ad Rom. IX, 5. p. 265. seq. aduersarios de situ notae interpungentis dissentientes sic confutat, *quia illi non omnes bibliothecas excussere, neque omnia exemplaria inspexerunt.* Hoc quidem argumentum criticum etiam ab aliis in angustias redactis adhibitum fuisse notum est. *Deinde nihil est vsitatius, quam distinctiones omittere aut male collocare.* Quod omnino concedendum. Pergit: *quod vbicunque hoc elogium legitur, illud semper attribuitur Patri, nusquam Christo, id quod dictis probat, et ostendit, de Christo aliisque vocem* εὐλογȣμενος *adhiberi.* Denique *vocem* Θεος *hic ex annotationibus Erasmi suspectam esse monet, dum Cyprianus, Hilarius, Chrysostomus eam non legerunt.* Sed argumentum palmarium omittit, ex genio nempe grammaticae graecae participium adiunctum ὢν aliam explicationem non admittere quam hanc, vt formula haec alias de patre obuia hic ad Christum referatur. Ad Col. II. 9. p. 358. haec habet: *Vox* Θεότης *graecis scriptoribus ignota a Theologis solis vsurpata est. Vnde merito quis suspicari posset, hoc quoque in loco ab Apostolo* Θειότητος *fuisse scriptum, quam vocem quidam nimium religiosi, aut librarii negligentes in* Θεότητα *transformarint.* Item

p. 467. ad Ebr. IX. 14. X. 5. ipſi ſufficit, vel αγιȣ vel αιωνιȣ, ſiue ωτα ſiue σωμα legendum ſit, probare, quaelibet probetur lectio, ſententiam, quam refellandam ſuſcepit, inde adſtrui non poſſe. Quae idem ad locum 1 Ioh. V. 7. p. 425. dicit, ſic comparata ſunt, vt, licet eadem ſentiat, quae in controuerſiis recentius de hoc dicto geſtis probata ſunt, opinionem, quam tuetur ſufficientibus argumentis corroborando impar fuerit, et litem partis ſuae fauore motus compoſitam eſſe iudicauerit. Haec profert: *Merito hunc locum inter ſuſpectos numerari, nemo niſi impudentiſſimus et indoctiſſimus negauerit. Cum plurimi tam graeci quam latini codices, et tum Syriaca, tum Germanica editio, illum non habeant. Nihil ergo momenti et roboris vel ad confirmandum vel ad confutandum habet.* Spicimen laborum criticorum, quibus Sociniani locum 1 Ioh. V. 7. tractarunt, Celeberr. *Semlerus* exhibet in libro: Sammlung über die Beweisſtellen in der Dogmatik p. 145—159. cui libelli huius cenſor in diario Allgem. deutſche Bibl. T. IV. p. 2. p. 345—348. nonnulla addidit. Ad 1 Ioh. V. 20. p. 427. 428. haec ſcribit: *Chriſtus hic a Johanne non dicitur verus Deus. Quod vt pateat, primo obſeruandum eſt, lectionem hic variare. Nam vetus interpres ſine vllo Graecorum codicum conſenſu habet:* et ſimus in vero filio eius. *Contra autem omnes Graeci legunt:* et ſimus *(vel potius* ſumus) in vero, in filio eius I. Chriſto. *Et quamuis nemini docto et cordato dubium eſſe poſſit, Graecorum codicum fidem eſſe vulgatae editioni praeferendam: praeſertim cum librariorum quoque vitio fieri potuerit, vt voculae aliquot, et praecipue praepoſitio* in, *ante vocem* Filio, *omiſſa ſit: tamen ne videamur ſubterfugia quaeſiuiſſe: oſtendemus, vtrouis modo locus legatur: Chriſtum hic non vocari verum Deum.* Qua ratione idem Iudae V. 5. non Ιησȣς ſed κυριος legendum eſſe vindicat, verba ipſius ad hunc locum p. 434. declarant: *Lectionem vulgatam corruptam eſſe aſſeueramus. In ipſo enim fonte, hoc eſt, in omnibus Graecis exemplaribus, non legitur* Ieſus, *ſed* κυριος. *Ita ergo corrigi vetus translatio debet — Deprauationi autem huic occaſionem dedit, falſa quaedam et valde vulgaris opinio. Cum enim in N. T. ſaepiſſime vox* Domini *denotet Jeſum: interpres vel alius quispiam corrector (corruptor potius) putauit,* Dominum et Ieſum, *aequi pollere: neque intereſſe, vtra vox dicatur,*

legatur,



legatur, *aut ſcribatur*. *Et ita loco* Domini *ſcriptum eſt* Ieſus. Quae de adſtruenda vera lectione in loco 1 Tim. III. 16. vario ſtudio prolata ſunt, ex ſcriptis et olim a Millii ac Wetſtenii temporibus et recentiſſime euulgatis, notiſſimum eſt. (s) *Brenium* hic modo et *Schlichtingium* allegabimus, qui ambo lectionem, quam ſequendum eſſe volunt, veram et genuinam eſſe declarant. Prior illorum ad verba *θεος — σαρκι*: *Voluntas Dei*, inquit, *prius occulta per homines infirmos mortique et variis aerumnis obnoxios*, *primum reuelata eſt*, *quales erant apoſtoli*, *imo Chriſtus ipſe in terris adhuc verſans*. *Vetus codex legit genere neutro*, *omiſſa voce* Θεος, *ſicut et Latinus*, *Arabs*, *Syrus interpretes*, *vt referatur ad* μυϛήριον *quod praeceſſit*. Alter vero in comment. Poſthumis in pleroſque N. T. LL. ad eundem locum p. 250. ſcribit: *Quod manifeſtatum eſt in carne. Sic enim recte legunt alii codices Graeci*, *quos ſecutus eſt vetus interpres Latinus*. Ex allatis quodammodo conſtare poterit, quales Sociniani ſe praebeant criticos. Nec plane intactum hic omitti debet periculum criticum, quod *Sam. Crellius*, ſub nomine Artemonii, in initio Euangelii Iohannis ex antiquitate eccleſiaſtica reſtituto ad Ioh. I. 1. fecit, vbi Θεος in Θεȣ absque vllo codicum lectionis huius indicio permutandum eſſe ſtatuit. (t)


§. X.

Multum Sociniani in vindicandis ſuis ſententiis tribuere ſolent vſui *articuli praepoſitiui*, quem hic emphaticum, ibi anaphoricum, illic diacriticum, iam prolepticum, iam aetiologicum, iam vero aoriſtum eſſe paſſim aſſerunt, et ſic dogmata ſua non infirmo praeſidio munire ſibi videntur, Praeſertim ſaepius ad hunc, quem vniuerſalem et abſolutum conſtituunt, canonem prouocant, articulum ſcil. hunc, voci Θεος praefixum ſemper cum emphaſi et diacriſi, Deum vnice ſummum Patrem ſignificare. Si vero absque hoc articulo

(s) Nonnulla huc facientia vide in *Wetſtenii Proleg. in N. T.* cura celeb. *Semleri* editis p. 54 - 61. in Michaelis Einleitung in die Schriften des N B. p. 116. 757 in *Griesbachi* N. T. Vol. II. p. 149 ſequ. et alibi. Recentiſſime etiam *Velthuſenius* et *Leſſius* de lectione hac, num ΘΣ an ΟΣ in codice Alexandrino exhibeatur, egerunt.

(t) Qua de re inter alia vide B. *Moshemii* comment. *de raptu Chriſti in coelum, quem Sociniani fingunt*, in ſyntagmate diſſertat. ad ſanct. diſcipl. pertinent. p. 343. et 364.

articulo de quoquam praedicatur, quod sit Θεος, manifesto hoc indicio esse colligunt, Deo inferiorem eum dici. Quia saepe, et nimis fere saepe de articulo disputant, quaedam tantum loca eo spectantia adferemus et paucula de iis monebimus. In *Cat. Rac.* p. 142. ad Ioh. XIV. 1. haec differuntur: **Der Herr Christus macht alhier ein klärlichen unterschied, zwischen ihm selbst und dem einigen Gott, von welchem das allhier geredet werde, erweiset der artickel, so in dem Griechischen hinzugethan.** *Brenius* ad Ioh. I. 1. haec notat: Θεος ην ο λογος. *I. C. dicitur* Θεος *sine articulo, ad differentiam illius Dei, apud quem in principio erat, quemque Christus ipse alibi Deum suum et patrem suum nominat, ex quo omnis deitas in coelo et in terra originem suam ducit. Huius autem tituli respectu Ioanni Baptistae, et infra Mosi, Abrahamo aliisque patribus, prophetis, sacerdotibus, item regibus et angelis praefertur.* Idem p. 160 l. c. dicit: Θεος *hic sine articulo positus est, quod vindicat, non illum summum et solum Deum ea voce hic significari, quem praecedens et sequens indicat clausula. — Hic voci* Θεος *non adiecit articulum, vt ostenderet, se non loqui de illo* αυτοθεω, *sed de eo, qui ab illo esset Deus, et Rex factus, constitutus.* *Eniedinus* ad 1 Ioh. V. 20. p. 432. sic inquit: *Articulus graecus vbique voci* αληθινος *additus, indicat hic agi de Deo qui* κατ' εξοχην *sit Deus.* *Schlichtingius* ad Ioh. I. 1. ην προς τον Θεον p. 4. ita praecipit. *Notetur autem articulus emphaticus voci Dei praefixus ad significandum Deum illum vnum et summum, seu Deum* κατ' εξοχην *et consequenter absolute seu subiectiue ac per Antonomasiam dictum, Hinc manifestum est, sermonem haud esse Deum illum vnum et summum. Duo enim omnino sunt, non vnus, quorum alter apud alterum est.* Idem ad eund. loc. in verba: *et Deus erat sermo* p. 5. haec notat: *Ponit autem hic vocem Dei sine articulo emphatico, vt significet sermonem haud quaquam vnum illum Deum esse, quem etiam illi manifeste tanquam diuersum opposuerat, sed Deum praedicatiue, vt loquuntur, dictum, qui ab vno illo Deo factus sit Elohim, id est, Deus accepta nimirum ab eo diuina virtute ac potestate, quali etiam ad hoc sermonis diuinissimum munus fuit opus. Nam licet vox* θεȣ̃ *in hoc enun-*



ciato prius ponatur, vox τȣ̃ λόγȣ *poſterius, Ioannis more, qui ſententiam ſequentem incipit a voce, quae finit antecedentem (quod et Apoſtolo Petro in vſu eſt) tamen vox* τȣ̃ λόγȣ *ſubiectum ſignificat, vox* θεȣ̃ *praedicatum. Sunt enim multi Dii (Elohim) iique veri, praedicatiue ſic dicti, licet vnus tantum ſit Deus* καθ' ἐξοχὴν *et ſubiectiue ſic dictus, nempe Chriſti Pater, 1 Cor. VIII. 6; qui etiam ideo Altiſſimus Deus et Deorum Deus et* ὁ Θεὸς *per emphaſin appellatur. Inter illos autem qui praedicatiue tantum dicuntur Elohim, id eſt Dii, primum et praecipuum habet locum Chriſtus, qui iſte Dei ſermo eſt, quippe rex regum et dominus dominantium et iudex omnium viuorum, ac mortuorum, et caput etiam angelicarum poteſtatum, a Deo factus et conſtitutus.* Ab eodem ſimilia dicuntur lib. cit. p. 7. ad Ioh. I. 4. *Intelligitur autem lux* καθ' ἐξοχὴν, *vera nimirum et perfecta. Ideo Graecus textus habet* τὸ φῶς *cum articulo emphatico, qui non vulgarem, ſed ſingulariſſimam et prorſus eximiam lucem declarat. Jo. Crellius* itidem l. c. ad Math. I. 20. f. 15. ſic loquitur: *Caret vox* Angeli *in graeco articulo, vt ſimpliciter aliquem ex Dei angelis, ſeu nunciis caeleſtibus intelligamus. Vox* Domini *articulo carens pro nomine Hebraico Jehova vel Adonai ponitur. Quanquam id alias quoque res ipſa poſtulat, Chriſto, cuius nunc quoque ſunt angeli, nondum nato.* Moleſta plerumque frequentia emphaſin, diacriſin, prolepſin rel. articulo huic vel ineſſe vel ab eodem abeſſe edicunt. Si vero dicendum quod res eſt, negari nequit, articulum interdum vocibus praeponi, quae omnino praecellentia ſua inſignes notandae ſunt. Hoc vero ſi fit, res plane non ſecundum praecepta grammatica diiudicari debet, ſed potius ſecundum ea, quae natura rei et ſermonis nexus ſuadet, vbi nimirum iam ex aliis rationibus conſtat, de re admodum praecellenti ſermonem fieri. Quod ſi hoc non apparet, articulus ſolus ad litem dirimendam nihil facit. Nam quiuis pro opinione ſua decertans eximiam eſſe rem de qua dicitur, aliunde ſuis rationibus monſtrare conabitur. Grammaticis vero regulis vſum articuli, praeprimis emphaticum, fere nullis adſtringi poſſe, iure affirmari videtur Vnde in dogmatibus condendis vel firmandis nullum prorſus in cenſum venire debet, cum liberrimus huius articuli (quem I. C. Scaliger loquaciſſimae

gentis

gentis flabellum dixit) in omittendo eo et adhibendo vsus sit (u). Nec credi debet, pro hypothesi haec aduersus Socinianos dici, vt argumentum illorum, quod pro defendendo dogmate suo adhibent, destruatur, siquidem Grammatici optimi rem nostram tuentur, et Eniedinus ipse, licet alias saepe ad articulum probandi caussa prouocet, verius de eius vsu loquitur p. 377. l. c. ad Tit. II. 13. *Infinita ostendunt exempla magnam varietatem et licentiam esse graecis in articulis addendis, omittendis, transponendis — Sciendum igitur est, nullam hic esse religionem, nec regulam grammaticam, nec proprietatem linguae obseruatione dignam. Nam Graeci libere pluribus vocibus vel vnicum, vel nullos vel singulos articulos praeponere et nunc priori nunc posteriori loco adiicere solent.* Quod speciatim ad vsum articuli in voce Θεος attinet, plura ostendunt N. T. loca, articulum hunc non addi, quamuis apertissimum sit, ipsis consentientibus Socinianis, de vnico summo Deo dici, quo pertinet Rom. I. 4. VIII. 33. XI. 33. 1 Cor. III. 9. IV. 1. Phil. I. 11. II. 11. III. 3. 9. Col. I. 1. 1 Thess. I. 1. 4. rel. Posset hic quoque addi, quod in Constantini Rhodocanacidis Chiensis tractatu superstite de articulis graecis notatur regula 18 Δία cum aduerbio iurandi μα iunctum, articulum respuere. Antiquissima quidem est obseruatio de significatione articuli voci Θεος praepositi emphatica. Nam iam *Philo* eandem in lib. de somniis (Opp. Frf. 691. f. p. m. 599.) his proponit verbis: Διο και ιερος λογος εν τω παροντι (de alloquio diuino ad Iacobum facto, quo hic aduersus Labani insidias et minas muniebatur, sermo est) τον μεν αληθεια (Θεον) δια του αρθρου μεμηνυκεν, ειπων, Εγω ειμι ο Θεος, τον δε καταχρησει χωρις αρθρου, αλλ αυτο μονον Θεου Verum antiquitatis huius auctoritas ea non destruere videtur, quae modo de hac parte protulimus. Quod in specie ad Philonem attinet, vti alias saepissime sic etiam in hoc loco allegorisandi studio, quo duci solet, obseruationem hanc in suas partes traxisse videtur. Analogia linguarum item articulo gaudentium hic in subsidium vocata forte quid ad decernendum verum conferre potest. Qua quidem duce non in-

(u) Videatur *Glassius* in Phil. p. 692—705. edit Budd et in edit Dathii Tom. I. p. 131—136, vnde ex p. 136. haec apponere iuuat, quae ad calcem canonis tractati adduntur: *Ex quo patet, dubia et infirma saepe esse, quae ex articulorum emphasi desumuntur argumenta pro articulis fidei comprobandis.*

congruum est, statuere, elocutionem oralem, haud ita scriptam significatum hunc emphaticum exprimere, eo fere modo, quo ad locum Iac. II. 14. inter der Glaube et DER Glaube distinguere mos obtinet. Vid. quoque *Clericus* in art. crit. Vol. I. p. 120. sq. *Io. Crellius* aliam adhuc articuli significationem obseruat in l. c. ad Rom. IX. 5. f. 147. ad verba ὁ ὤν ἐπι παντων Θεος. *Articulus in principio positus non habet vim eam quam solet habere nominibus praefixus, vt nimirum* εξοχην *rei in suo genere denotet; (quamquam interdum tamen est* αναφορικος *aut etiam redundat) sed vim habet pronominis relatiui* qui. Hic articuli vsus non plane inusitatus, et ab aliis quoque indicatus, sed non satis obseruatus ac etiam in Glassii editione Dathiana omissus est. Vide *I. Simonis* introd. gramm. crit. in lingu. graec. p. 105. §. 7. A Graecis scriptoribus hic articuli significatus non est alienus. Praecipue ex *Herodoto* multa notare licet loca, vbi *praepositiuus loco postpositiui* adhibetur. Num vero in loco allegato quid ad rem excutiendam faciat, non video, idque fusius hic disquirendi non est locus. (x) Cum vero celeber hic sit locus in disceptationibus cum Socinianis, reliqua Crellii verba addam. Pergit ibidem: *Vox* παντων *cum in neutro tum in masculino genere potest accipi: et licet videatur vocem Dei maxime dilatare, restringit tamen aliquo modo. Plus enim videtur in eo esse, cum quis simpliciter* Deus *nominatur, praesertim* benedictus in secula, *quam cum* Deus super omnes vel omnia *vocatur. Facilius enim vox* omnia, *praesertim cum sermo est de Christo, restringi potest, quam simplex vox Dei in seculum benedicti. Hanc autem vocem* omnium *restringendam esse docuit nos Apostolus* 1 *Cor. XV.* 27. *Eodem autem sensu hic a Paulo Christus vocatur omnium Deus, quo a Petro Act. X.* 36. *omnium Dominus.* Ad haec verba επι παντων videatur quoque *Grotius* in h. l.


§. XI.

Pergimus iam in argumento praesenti et videbimus ex speciminibus nonnullis adferendis, quos Vnitarii se praestent in explicandis quibusdam singulis

(x) Vide inter plura alia de hoc loco Celeb. *Noesselti* opusc. ad interpretationem S. S. p. 142—153. *Ernesti* neue theol. Bibl. T. X. p. 509—512. et *B. Zachariae* biblische Theologie Tom. I. p. 425—440.

ſingulis vocibus biblicis. De voce δικαιος *Cat. Rac.* p. 267. haec profert: die heilige Schrift nennt die Gerechtigkeit, vermittelſt welcher Gott die ſünde ſtrafet nirgents gerechtigkeit, ſondern vielmehr den Zorn und Grim Gottes. Ja vielmehr wird in heiliger Schrift die Gerechtigkeit Gottes denn zugeeignet, wenn Gott die ſünde verzeihet. 1 Joh. I. 9. Rom. III. 25. 26. Plura mittentes *Schlichtingium* modo addemus lib. cit. ad 1 Ioh. I. 9. p. 372. ſic loquentem: *Et iuſtus. Id eſt bonus, benignus. Poteſt hoc loco vt et aliis multis iuſtus, ſignificare bonum, beneficum, in exigendo ſuo iure non rigidum, ſumme aequum, quo ſignificatu ſaepe celebratur Dei iuſtitia, praeſertim in Pſalmis: et vir iuſtus appellatur is, qui bonus eſt et benignus. Sic Ioſeph, quod iuſtus eſſet, noluit ius ſuum perſequi in Maria vxore ſua, quod ſibi aduerſus illam eſſe credebat. Itaque ſignificat, etiamſi Deus promiſſo ac fide ſeſe non obſtrinxiſſet; tamen iuſtitia ac bonitas eum impelleret: vt remittat nobis peccata.* Nec ſic prorſus a vero abludere videntur. Catechiſmus quidem nimia tradit, dum omnino loca adſunt, in quibus vox δικαιος adhibetur, ſi de animaduerſione Dei in delicta ſermo fit e. g. 2 Theſſ. I. 6. Sed ſi dicta, in quibus δικαιος, δικαιοσυνη de Deo dicitur, inter ſe conferuntur, multo maior horum eſt numerus, quae vocem hanc de clementia Dei adhibent, et ex vſu biblico ſignificatus, quo plurimum ſumitur, non obtinuiſſe videtur. De re ipſa, quod quidem Deus omnia et bene et male acta, prouti ipſis conforme eſt, compenſet, hic non eſt ſermo, huius enim vel ſexcenta adſunt indicia et exempla, ſed de frequentiſſima vocabuli huius in bibliis ſacris obuia ſignificatione, quae certo plerumque benignitatem Dei concernit. Et praeſertim, ſi in negotio veniae peccatorum hominibus dandae vſurpatur, ipſa rei vis et omnis indoles ſenſum hunc ei ineſſe poſtulat. Plura addi poſſent, niſi vir digniſſimus *M. C. G. Langius* iam meſſem adeo opimam hac de re inſtituiſſet, vt vix ſpicilegii locum reliquerit. (y)

(y) Vid. eius exegetiſche Verſuche über bibl. Worte und Redensarten T. I. P. 3. p. 436. ſq. vnde ad rem noſtram ſpectantia ex p. 526. deſcribamus: So merke ich nur noch an, daß die Socinianer leugnen, daß durch dieſes Wort die Strafgerechtigkeit Gottes angezeigt werde. Nun mus ich geſtehen,




Quem vocabulo עולם sensum competere Sociniani statuant videamus. In *Cat. Rac.* ad Mich. V. 2. p. 66. haec sunt: Die Worte von Ewigkeit her lauten im Hebräischen also: von den Tagen der Zeit oder seculi. Die Tage aber der Zeit bedeuten so viel, als von Alters her Ies. LXIII. 9. 11. Malach. III. 4. Ex *Ostorodtii* l. c. ad idem dictum p. 56. haec damus: Seine Ausgänge sind von etwan, von den Tagen der ewigkeiten: das ist, Sein herkommen ist von alters, v. von sehr langen tagen, nemlich vom Geschlechte Juda und Hause Davids, v. derhalben eines vortreflichen geschlechts. Denn das Hebräische wort Holam, welches man vertirt Ewigkeit, wie auch das wort Seculum, welches die Lateinische version hat, bedeutet auch in H. Schrift v. das sehr oft eine lange Zeit. *Eniedinus* ad 2 Reg. VII. 14. p. 51: *Notum*, inquit, *et ab omnibus doctis animaduersum est: vocem Hebraeam* Olam *non tantum aeternum, sed diuturnum et stabile saepe significare. Atque hic quoque, si historiam spectes ita accipiendum esse, negari non potest. Nam et hoc David, loco praedicto de Salomone interpretatur: seu autem ad Christum mystice transferas, verum est, filii Dei, hoc est, Messiae regnum, non tantum diuturnum sed fine carens fore. Ioh. Crellius* ad Rom. XVI. 25. l. c. f. 201. dicit: Αιων *enim, pro quo Hebrai Holam dicunt, non semper declarat tempus prorsus aeternum siue initio vel fine carens, sed spectandum est, quibus rebus accommodetur et ex earum natura ac conditione intelligendum.* Sunt omnino dicta, vbi עולם de aeternitate absoluta, quae soli summo Deo competit, vsurpatur Gen. XXI. 33. Ps. XXV. 6. XC. 2. XCIII. 2. Pluries vero de aeuo, cuius diuturnitas non praecise determinatur, adhibetur, quod loca permulta testantur, (Glassii Phil. p. 1925. ed. Budd.) et vocabulum, quod proprie absolutam aeternitatem indicat, Hebraeis עד esse videtur. Hoc enim adhibetur in sublimibus Dei descriptionibus propheticis Ies. LVII. 15. iungitur quoque עולם ועד Ies. XLV. 17. vnde constare videtur, עד sublimiorem indicare aeternitatem quam עולם. Speciatim מעולם de gente perantiqua Ier. V. 15. dicitur. *Cel. b. Dathius in prophetis minoribus illustratis* verba haec Michae p. 83. sic vertit: *antiquissima*

hen, daß ich keine recht deutliche Stelle weis, wo dieses Wort nothwendig und ins besondere die Strafgerechtigkeit bedeute: es müßte den Röm. 3, 26. seyn, wo es aber auch zweifelhaft ist.

tiquiſſima erit origine ab aeternis temporibus, et locum hunc literaliter de Serubabele agere cum Grotio putat. Poteſt etiam ex N. T. ſignificatio haec locutionis huius illuſtrari et confirmari, quippe Tit. I. 3. verba προ χρονων αιωνιων perbene verti poſſunt, *ab antiquiſſimis inde temporibus*, cui LXX. in Mich. V. 2. reſpondere videntur εξ ημερων αιωνος. Quid inde? Concedi poſſet, linguae Hebraicae ingenio non prorſus aduerſari, ימי עולם de antiquiſſima origine intelligere, licet omnis verborum nexus auguſtius quid dicere videatur, quam quod de Serubabele ſolo valere poſſit. (Cf. Erneſti Neueſte Th. B. T. III. p. 18.) Nec tamen Vnitariorum ſententia dogmatica, quam inde elicere conantur, prorſus ſalua manet, cum N. T. loca clariora rem hanc clarius teſtentur, e. g. Ioh. VIII. 58. et Iſräelitarum religio hac auguſtiſſimae Chriſti perſonae notitia ſalua ſcientia de proprio ipſius negotio perficiendo, carere potuerit. Cum in hunc Michae locum incidimus, obiter notamus, licet alias ſatis bene de Serubabele explicari poſſet, difficultatem tamen adhuc ſupereſſe, quae non minima videtur. Duriuſcule ſcilicet ſtatui credo, ſynonyma habenda eſſe, *Bethlehemo ortum eſſe*, et *ex ſtirpe Dauidis prognatum eſſe.* Praeterea ſingularem adlocutionem ad vrbem Bethlehemum directam aperte aliquem deſignare cenſeo, qui in eadem natus eſt, quod vero Serubabeli conuenire vix probari poterit. Legi merentur, quae ideo S. V. *T. C. Lilienthal* in der guten Sache der göttl. Offenb. notauit T. II. p. 902.

Non prorſus male Sociniani praecipiunt, quae in locutione, vbi τα παντα occurrunt, obſeruari iubent, eam ſcilicet non plena vniuerſalitate ſumendam ſed ad naturam materiae ſubſtratae limitandam eſſe. Interim ſat male reſtrictio haec etiam ad talia ab iis refertur loca, vbi recenſio των παντων omni ſua extenſione accipienda eſſe videtur. Quid in hac parte cenſendum eſſe Sociniani poſtulent, videamus, et quaedam monenda addamus. Ipſos differentes audi. In *Catech. Racou.* ſaepius contenditur, τα παντα ſemper pro ratione rerum, de quibus ſermo eſt, limitanda eſſe. Inter alia p. 88. ad Ioh. I. 3. παντα dici aſſeritur alle die Dinge, welche zum Evangelio gehören. *Oſtorodtius* l. c. p. 73. haec adfert: Das dies wörtlein, alles, auff das, wovon gehandelt wird, müſſe gezogen werden, lehren vns faſt viel vnzehliche örter der H. Schrifft, vnter welchen




welchen man anmercken soll vornemlich 2 Cor. 5. 17. Siehestu, das er sagt alles, v. redt doch nicht von allem, nichts nicht ausgenommen: sondern von etlichen gewissen Dingen, welche durch Christum sind renoviret oder vielmehr reformiret worden. *Brenius* item ad Ioh. I. 3. haec monet: *Omnia ad doctrinam illam caelestem et regni coelestis per Messiam in terris constitutionem et confirmationem pertinentia, hactenus per ipsum facta sunt, nihilque eorum, quae per nos apostolos aliosue in eum credentes hoc fine facta suut, sine ipsius efficaci mandato, regimine et auxilio factum est Eph. II. 17. Vniuersales porro particulas saepenumero ad subiectam materiam de qua agitur restringi solere, etiam rudiusculi norunt. Math. XVII. 11. Ioh. IV. 28. 29. 1 Cor. VI. 12. IX. 22. X. 23. 2 Cor. V. 17. Eph. VI. 13. Col, I. 16. 20. 1 Thess. V. 21. Tit. I. 15. 1 Ioh. II. 20.* *Eniedinus* ad 1 Ioh. I. 3. p. 161. sic: *Vocabulum παν et παντα non semper vniuersaliter vsurpari, sed ad certa quaedam et nonnumquam ad pauca restringi, notius est, quam vt exemplis declarandum sit. Quod autem de solis hominibus saepe dicantur, haec inter caetera ostendunt Ioh. XII. 32. XIII. 3. XVII. 2. Math. XVII. 11. Eph. I. 10. III. 9. Col. I. 20. 2 Cor. V. 17, Homines dicuntur πασα κτισις Marc. XVI. 15. Col. I. 23. 1 Pet. II. 13. Ex quibus apparet, non peccare, neque contra scripturam loqui eum, qui* omnia *pro hominibus aut pro piis accipiat. Idem* ad Ebr. I. 3. p. 386: *Per vocem omnia,* inquit, *saepe iam docuimus significari mundum renouatum, orbem futurum, ecclesiam, duos populos: Iudaeos nimirum et gentes, super quos Christus accepit imperium et dominium. Est ergo dominus in domo patris, sed constitutus a Deo.* Pertinent huc quoque verba *I. Crellii* quae supra iam citata sunt p. 48. *Schlichtingius* similia monet ad Ioh. I. 3. p. 6. *Vox*, omnia, *semper ad subiectam materiam refertur.* Vtique verum est, naturam rei docere, ambitum των παντων plerumque cancellis suis circumscriptum intelligendum esse, et in S. litteris quoque facile patere potest, vbi τα παντα pro nexu et circumstantiis sermonis limitanda esse velint. Duos hic Theologos magni nominis eadem statuentes adferam. S. R. D. *Ernesti* in comment. ad Act. III. 21. (in opusc. Theol. p. 487.) dicit: *Tum in omni genere sermonis, tum in scripturis, τα παντα circum scribenda sunt, eius rei terminis, de qua*

sermo

ſermo eſt, eoque conſilio Ioh. IV. 25. et 1 Ioh. II. 20. allegat. *Glaſſius* ſimile argumentum tractans in Phil. S. L. 5. Tr. I. c. 14. p. m. 1898. ed. Budd. haec habet: *Omnis de* maiori parte *ſaepius dicitur*, *ita vt* omnes *ſint pro* plerisque *ſeu* multis. *Quidam ſic enunciant: Vniuerſalis affirmatiua locutio crebro accipitur, non ſimpliciter pro ſingulis rebus termini vniuerſaliter indicati, ſed ad ſpeciem, cui proprie competit, eſt reſtringenda. Huc pertinet regula iuris: Omnes videntur facere quod facit maior pars, quae exſtat in Pandectis §. quod maior. Et* πολυθρύλλητον *illud: Verba ſunt intelligenda ſecundum ſubiectam mamateriam. Monendum vero hic, reſtrictionem vniuerſalis particulae non pro arbitrio, ſed ex accurata textus conſideratione conſtituendam eſſe.* Quod vero ad ſpecialem regulae huius ad haec illaue dicta applicationem a Socinianis factam attinet, aperte peccaſſe videntur. Vt alia loca taceam, vbi τα παντα Chriſtum reſpicientia in omni ſua extenſione ſumenda ſunt, ſaltem in Ioh. I. 3. et Col. I, 16. omnimoda vniuerſalitas innui videtur, quippe quod in priori loco, quae praecedunt et conſequuntur verbis, in poſteriori vero ſubſequente eorum, quae εν παϲι complectenda ſunt, diſtributione ſatis clare, vt opinor, doceri videtur.

Significatus, quem vocabulo γινεσθαι ineſſe putant, talis eſt, qualem ei vix quis tribuet, niſi illum ideo neceſſario ſtatuendum eſſe putet, vt ſuae, quam fouet, ſententiae ſtabiliendae inſeruiat. In *Cathech. Racou.* p. 92. ad Ioh. I. 3. haec leguntur: Das die Menſchen durch den Herrn Chriſtum reformirt, als wenn ſie aufs newe gemacht weren. Das iſt die Gewonheit der Jüdiſchen ſprach, das in derſelbigen ſolche wort, machen, ſchaffen, eben ſo viel gelten, als aufs newe machen, aufs newe ſchaffen: Und das darumb, das die Jüdiſche ſprach, ſolche wort, welche *Verba compoſita* genennet werden, nicht hat. *Brenius* in lib. cit. ad Ioh. I. 10. haec tradit: κοσμος δι αυτȣ εγενετο: γινεσθαι *quando ponitur pro fieri, vt et alia eiusdem ſignificatus verba, idem ſaepe valet quod in nouum et meliorem ſtatum conformari, (Hebraei enim verbis compoſitis carent) amplificari, ornari, aut dignitatem maiorem conſequi quam antea quis fuerat adeptus, vt Deut.* 32, 6. 15. 1 *Sam.* 12, 6. *Pſ.* 92, 6. *Ieſ. XXVII*, 11. *XLIII*, 1. 15. *XLIV*, 2. *XLV*, 8. 9.

 Mal.

Mal. 2, 10. *Mundus autem hoc ſenſu per Chriſtum factus dicitur, non reſpectu euentus (ſtatim enim ſequitur, et mundus eum non cognouit) ſed reſpectu ſtudii conatus ac efficacis eiusdem operationis, quam talis effectus ſubſecutus fuiſſet, niſi nouam contumaciam homines ei oppoſuiſſent.* *Eniedinus* p. 162. 163. ſic diſputat: *Iam vero vocabula κτίζειν, ποιεῖν, γεννᾶν, γίνεσθαι non ſemper ſubſtantialem, vt philoſophi loquuntur, ſed ſolam accidentalem mutationem ſignificare, extra controuerſiam eſt Eph. II. 10. 15. 10. 14. III. 11. Ioh. III. 3. Iac. I. 18. Rom. IV. 8. 1 Ioh. II. 29. 2 Cor. V. 17. Cum igitur conſtat, et* omnia *poſſe ſignificare ſolum homines et* γίνεσθαι *ſaepe accipi pro immutatione aut renouatione, quaeſtio eſt cum dicuntur per Chriſtum omnia facta aut condita, vtrum de renouatione humani generis, an de rerum omnium et machinae mundi ortu et creatione ſit intelligendum? In hac poſteriore opinione plures ſunt: Sed ſi quis diligentius conſideret, priorem ſententiam veriſimiliorem eſſe deprehendet.* Argumentum, quo maiorem huius ſententiae probabilitatem euincere ſtudet, ſtatim annectit. *Nam olim Deus per Eſaiam promiſerat nouum coelum et terram, per Ieremiam nouum foedus. Quae apoſtoli applicant ad aetatem et exhibitionem Chriſti.* Mirum ſane, quod apoſtoli, quos ad minimam ſimilitudinem loca V. T. allegare et ad ſua propoſita torquere dixerat, in primaria hac materia allegationes negligant. Nouum coelum et nouam terram cuius Ieſ. LXV. 17. mentio iniicitur, vix ad N. F. diſpoſitionem referri poſſe credam, cum verba v. 18. 19. ſequ. et totius fere capitis argumentum indicant, de ſtatu Hieroſolymae laetiori ſermonem eſſe, qui certe nec eo tempore, quo noua oeconomia conſtituta eſt, nec poſteriori fuit. *Et dicitur ipſe nouus homo, nouus Adam, habere nouum regnum, nouos ciues: cur non etiam nouam creationem? Certe non ſemel dicitur noua creatio facta eſſe per Chriſtum. Ergo non modo ſuadet, verum etiam cogit nos res ipſa, vt hoc quoque Iohannis de noua creatione intelligamus.* Si igitur non ſemel ſed ſaepius noua Chriſto creatio tribuitur, quidni Iohannes et hic nouam creationem clare indicat? An vero forſan ex conſilio ambiguitatis in ſcribendo ſtudioſus fuit? Conceditur ergo in verbis his nude ſumtis nouam creationem non innui, et quia eandem alibi Chriſto tribui patet, hic ei aliam tribui non debere contendit. Num veri

cupidum


cupidum se exhibet? Potius inde recte colligi videtur, quia saepissime in S. S. το καινον de Christo rebusque ab ipso effectis aperte indicatur, alibi, vbi nouum hoc non additur, renouationem hanc non intelligi debere. *Idem* p. 172. haec habet: *Notissimum, simplicia vocabula saepe pro compositis accipi, praesertim apud N. T. scriptores, qui, cum Hebraei essent, linguae suae proprietatem secuti, quae compositis verbis caret, saepissime* factum *dicunt pro* refectum *et* creationem *pro* recreationem, generationem *pro* regenerationem. *Schlichtingius* eadem monet ad Ioh. I. 10. p. 9. *Mundus ergo seu homines per eum facti dicuntur, quatenus per eum renouati ac restaurati sunt, Hebraeorum phrasi, quibus verba desunt composita, pro quibus vtuntur simplicibus, cuius rei exemplum et vers. 12. habemus:* ελαβον *pro* παρελαβον. *Praesertim id fit in hoc ipso faciendi verbo. Nam et quae renouantur ac restaurantur fiunt. 2 Cor. V. 17. Eph. II. 10. Psal. C. 3. et multa alia similia in sacris litteris ab aliis annotata: sic Hebr. I. 2. Deus per filium quem constituit haeredem omnium, etiam secula fecisse dicitur, quatenus ea renouauit et restaurauit, seu quatenus per Christum Regem fecit coelum nouum et terram nouam secundum Prophetarum vaticinia. Esa. LXV. 17. LXVI. 22. Notat enim Auctor ad Haebraeos effectum Regni Christi, qui mundi collapsi verus conditor ac restaurator est, vt etiam hic mox explicatur v. 12. vide et Eph. III. 9. Col. I. 20. 16.* Quot et quanta haec ad confirmandam Socinianorum sententiam de Christi persona facerent, si omnino vera essent, abunde patet. Sed vix cuiquam suspicionem eximent, ipsos haec, προς το τη υποθεσει δȣλευειν scripturis intulisse. Cui enim non pateret, ipsos hac ratione ab vsitatiore verborum sensu ad insolentiorem confugere, sicque interpretationis facilitatem minoris habere, quam eiusdem difficultatem, quod vero non optime interpretantis nota est. *Schlichtingius* ipse ad locum modo citatum p. 9. Ioh. I. 3. το γεγονεν de simplici factione intelligendum esse suadet, et alio modo tricis, quibus suam de Christo sententiam implicatam videt, se explicare studet. Haec addit: *Supra v. 3. de simplici factione maluimus interpretari, non de sola renouatione primum ne videretur Apostolus rem eandem hic iterum redicere. Deinde, quia per sermonem non tantum omnia sunt renouata, quod hic dicitur, sed etiam multa simpliciter sunt facta, ad nouam creationem spe-*


ctantia. Nec optima ratio videtur, qua ſenſum hunc vocabuli γενεϑαι munire ſtudent, quia ſcilicet Hebraeis verba compoſita deſunt. Hoc quidem verum, ſed ſubſidio gaudent, defectum hunc ſupplendi, dum adiectiua et aduerbia ſignificatum verborum circumſcribentia verbis addere poſſunt et addunt e. g. חדש, שנית, עוד. Ipſum verbum חדש in Coniug. Piel *renouandi* ſignificationem actiue habet. In Graecis item παλιν, καινος rel. non ignota ſunt. Et verba non ſolum ſimplicia ſed compoſita et decompoſita ſimplicibus aequipollentia adſunt et vſurpantur, καινȣν, ανακαινȣν., πληϱȣν, αναπληϱȣν, ανταναπληϱȣν. (z) Aliam adhuc verbo γινεσϑαι, ειναι ſignificationem tribuunt, quod id ſcilicet ſignificet, quod Deus eſſe decreuit. Sic enim *Brenius* ad Ioh. VIII. 58. *Fuit autem Ieſus, antequam Abraham exiſteret, non quidem actu, ſed diuina conſtitutione deſtinatus Abrahami caeterorumque credentium animis et corporibus ſeruator Ioh. XVII. 5. Apoc. 13. 8. 1 Pet. I. 30. Hunc ſenſum recte annotant Beza et Grotius* Monendum vero, N. T. aliis affluere locutionibus, quibus decretum Dei indicat e. g. οϱισμος, βȣλη, ϑελημα, ευδοκια, πϱοϑεσις, rel. Eundem eſſe ſignificatum ſtatuit Ioh. I. 15. εμπϱοσϑεν μȣ γεγονεν. *Ante me fuit in decreto Dei et ad v. 30. Chriſtus in decreto Dei ante Ioannem fuit, et ad v. 15.* πϱωτος μȣ ην *i. e.* πϱοτεϱος *prior non temporis ſed dignitatis reſpectu Math. III, 11. Marc. I, 7. Luc. III. 16.* Vbi ſimul de praepoſitione εμπϱοσϑεν quaedam monenda ſunt. *Eniedinus* ei concinit dum p. 183. 184. contendit, quia εμπϱοϑεν nullibi in S. S. de tempore ponitur, neque Ioh. I, 15. 27. 30. de tempore ſumi debere. Eadem monet *Schlichtingius* ad Ioh. I, 15. p. 13. *Praepoſitio* εμπϱοσϑεν *anterioritatem loci proprie ſignificat, non temporis.* Concedendum eſt, εμπϱοσϑεν in aliis Scripturae locis non de tempore vſurpari, ſed potius πϱο. Quod ad hunc vero locum attinet, vi oppoſitionis de tempore ſumi poſſe putem, dum nimirum τω οπισω μȣ opponitur, quod aperte de tempore valet. Praeprimis cum graecae linguae ingenio haud quaquam repugnet, εμπϱοσϑεν de tempore ſumere, quo quidem ſenſu a puriſſimis Graecis ſcriptoribus ſumi lexicographi teſtantur e. g. ολιγον

(z) Conf. *Glaſſii* Phil. L. 3. Tr. 3. can. I. nota de nov. Teſt. p. 745. edit Budd. vbi et Socini mentionem iniicit.

ολιγον εμπροσθεν, εμπροσθεν ολιγω χρονω, paulo ante. Pari modo iisdem testibus etiam προτερος de tempore adhibetur, προτεροι ανδρες superioris aetatis homines, εν τω προτερω χρονω superiori tempore. Interim si loca ex Mathaeo, Marco et Luca citata huic plene parallela haberi debent, locus Iohannis ex iis explicari posset. Verum etiam hic quaedam excipi possent. Versus 30. ex Ioh. I. dissensum hunc optime dirimere videtur. Quod ad locum Ioh. VIII. 58. eiusque ex *Brenio* allatum sensum, cui caeteri Socinianorum omnes adstipulantur, attinet, conferri possunt, quae praeter alios *Weismannus in Rabulismo exegetico partis Socinianae, p.* 13. *sequ. et Harwoodius* in der Abhandl. über den Socinianismus, *p.* 39. *et* 64. *sequ. refellendi caussa protulerunt*, nec non S. R. *G. A. Tellerus* in antithesibus *Harwoodii* 4 Abhandlungen Berl. 774. praemissis p. 38. et 50.

Constat, a multis notatum esse et ab omnibus concedi, vocabulum Θεος in scripturis sacris non vbiuis solum de vero summo Deo praedicari, sed etiam de multis aliis rebus egregie in suo genere praecellentibus dici. Quonam vero sensu Christus Deus dicatur, inter Socinianos eisque aduersantes lis versatur. Hanc dirimere, hic non nostrum est, et multorum antiquiorum recentiorumque Theologorum labores ad hoc argumentum fusius disquirendum impensi vbiuis prostant. Nec negare possum, me saepe mecum doluisse, Socinianos, viros, in quorum scriptis, tot tamque egregia, quae ad recte intelligenda diuina oracula haud parum faciunt, deprehenduntur, in hoc capite miris se plicis voluere, vt quocunque fiat modo, contendere possint, Christum ex scripturae indicio ante natiuitatem suam ex Maria miraculose a Deo effectam nequaquam exstitisse, sed ob insignem, quam Dei mandato mundo patefecit doctrinam, magnisque miraculis confirmauit et ob summam constantiam, qua afflictiones acerbissimas ad doctrinarum, quibus homines instruxerat, diuinam auctoritatem stabiliendam, sustinuit, Deum a Deo rectoremque coeli et terrae constitutum esse. Plurima eaque clarissima adsunt scripturae testimonia, quibus haec de Christi persona et negotio perfecto minus augusta sententia haud conuenit. Sed materiam hanc hic tractare, meum non facio, cum tota exegetica et dogmatica sit. Ad rem propositam redeo. In *Catech.*



Rac. cap. von der Erkenniß Gottes p. 39. haec sunt, das wörtlein, Gott, hat in Heil. Schrifft sonderlich zwerley Bedeutung. Die erste ist, wenn es bedeutet den, der beydes im himmel und auff erden also vber andere herschet, vnd macht hat, vnd aller ding schaffer vnd anfang ist, das er keinen höhern vber sich, vnd keinen für sich hat, vnd von keinen andern dependiret. Die ander Bedeutung ist, wenn es bedeutet den, der da eine hohe macht od. gewalt von demselben einigen Gotte hat, oder sonsten auf eine andere weise der Gottheit des einigen Gottes theilhaftig ist. Denn darumb ist der einige Gott, das ist, der Jehova, ein Gott der Götter genannt. Der Sohn Gottes aber ist in dieser andern Bedeutung an etlichen örtern der H. Schrifft Gott genannt. Ioh. 10. 35. Locus hic parum feliciter in auxilium vocari videtur, siquidem Christus ibi satis clare innuit, κατ᾽ ανθρωπον disputando, sibi Dei nomen sensu multo augustiori competere, quam aliis, qui hoc nomine in scripturis insigniuntur. Iudaei etiam ipsi, quibus locutio haec biblica non ignota erat, bene sentiebant, Christum multo eminentiora sibi tribuere, quam quae vllo modo de prophetis iisque maximis, quibus Christum omnino adnumerabant, praedicari possent. Christum enim, se Deum esse, declarasse v. 33. profitentur. *Ostorodtius* p. 139. sic loquitur: Vnd ohne allen Zweifel hat Johannes der Evangelist Christum vmb keiner andern vrsach willen, denn wegen des prophetenampts, welches Christus verwaltet, das ist, in welchem solch ein wunderliche macht begriffen war, Gott genennet, da er sagt: das wort war Gott Ioh. I v. 1. denn so sollen die wort aus dem griechischen vertiret werden, sintemal das wort, Gott, da nicht ein subiectum, sondern ein praedicatum ist: das ist, Johannes hat nicht gesagt, was Gott gewesen, sondern was das wort gewesen sey. Denn es ist gewiß, das Christus Gottes Sohn entweder vmb keiner andern vrsach, oder gewißlich am allermeisten vmb seines Prophetischen ampts willen von Johanne das wort ist genennet worden: nemlich das Gott durch ihn zu vns geredt hat, vnd das, wie man durch eines menschen wort seinen willen, also wir menschen durch Christum Gottes willen verstanden haben. Pergit. p. 140. Man kann leichtlich verstehen, daß er

ihn

ihn wegen der qualitatum seines Prophetischen Ampts, Gott genennet hab, nemlich damit er auf solche weise die vortrefligkeit seines ampts commendirete, vnd also jedermann für die Augen stellete. Si Christus hac de caussa Dei titulo decorandus esset, certe apostoli, qui ipso Christo praedicente plura et maiora mundum docturi essent ac vere suo modo docuerunt, praeprimis *Paulus*, qui per longius spatium, in pluribus regionibus, pluribus periculis perfunctus (quippe naufragia passus, animalium morsus letiferos expertus est, catenis vinctus carcerum squalores sustinuit, moriendi discrimen saepius subiit, morte tandem etiam violenta occubuit) euangelium praedicandi munus gessit, maiori iure a Christianis ipsorum Θεος habendus esset. Quot quantisque laboribus Moses Israelitarum doctor, legislator, dux de populo hoc optime meritus erat. Interim nullibi illorum Deus vocatur. *Eniedinus* p. 159. 160. ad Ioh. I. 1. ita disserit: *Dei vocabulum dignitatis potius et officii esse nomen, quam naturae et essentiae, omnibus qui sacra tractant notissimum esse debet. Vnde variis et multis rebus tribui solet sicut et ex V. et ex N. T, apparet Ps. LXXXI. 1 Cor. VIII. Non ergo sequitur, si quis dicatur Deus ideo statim pro aeterno caeli et terrae creatore esse illum habendum. Cum ad quoscunque λογος Dei sit, dicantur Dii, teste ipso Christo Ioh. X. 35. Est ergo λογος, Deus, sed a Deo factus et constitutus Deus, sicut testatur Petrus Act. II. 36. et Hebr. I. 9. etc.* Nullibi, quantum mihi succurrit, prophetae, ad quos tamen λογον Dei saepius directum fuisse Eniedinus non negat, ideo Dii vocantur, sed ad iudices, imperantes, et eiusmodi homines, quorum iudicium pro re nata sufficere debebat, et praeter quorum auctoritatem vlterius prouocare vel non fas vel non opus erat, interdum denominatio haec transfertur.

Multo adhuc plura adferri possent, vnde eluceat, quinam Vnitarii sint in constituenda significatione singularum vocum biblicarum. Verum quae allata sunt ad id intelligendum quodammodo sufficere posse credo. Interim priusquam hoc argumentum penitus mittam, vnum duntaxat specimen ex *Eniedino* subiungam. Ad vltima verba loci Act. XX. 28. lib. cit. p. 255. sic commentatur: *Notissimum est, Graecos Ablatiuo casu carere, eumque per Genitiuum exprimere. Illud quoque manifestum est,*

elliptica


elliptica nonnumquam eos vti oratione: atque substantiuum υιος *fere semper, apposito patris tantum aut gentis nomine, in casu genitiuo, omittere et subintelligendum relinquere, vt cum alibi, tum Luc. III. videre licet. Sed Hebraei, quorum in loquendo vsum saepe N. T. scriptores sequi certum est, quaeuis substantiua, appositis tantum Adiectiuis, subintelligenda relinquere consueuerunt, vt Cenallerius in sua syntaxi canone 19. docet. Itaque etiam hoc loco salua tum Graecorum tum Hebraeorum grammatica, imo vtrorumque consuetudinem secuti interpretari verba ista sic possumus:* acquisiuit sanguine sui (*vel* proprii) *subaudi* filii. *Ne autem haec ellipsis cuiquam dura videri possit, primo illud efficit, quod alias quoque vox* filii *omissa subaudiri solet, vt* Ιακωβος τȣ Ζεβεδαιȣ *scil.* υιος *Math. IV. Deinde quod similia substantiua subaudiri saepe solent: vt Ioh. XIII. 1.* αγαπησας τȣς ιδιȣς, *subaudi* μαθητας. *Et Ioh. I. 11.* και οι ιδιοι αυτον ȣ παρελαβον, *subaudi* ανθρωποι *aut aliquid simile. Math. X. 42.* ποτηριον ψυχρȣ *scil.* υδατος *etc.* Si exercitii gratia, quo disputantes interdum congredi solent, Eniedinus haec scribere voluisset, iam quaedam regerere necessum foret. Vix vero mihi tempero, quin credam, ipsum in re maxime seria ludere voluisse videri posse. Si ad hancce normam Grammaticam codicis sacri effingere, si huiusmodi ellipses ferre et supplere liceret, vel Catonem eas praeceptiones iocandi caussa protulisse crederem. Adeo insolens et sui confutationem in fronte secum gerens haec interpretatio est. Quin eadem subtilitate argumentum in Eniedinum retorquendo fingere possem, ipsum statuere, Christum physice Dei patris filium habendum esse, quoniam pari ratione Scripturam de eo loqui putat, qua de aliis hominibus Iacobo et Zebedaeo Addenda hic quaedam essent ad locum hunc Act. XX. 28. pertinentia, nisi lectores iam tenerent, quae *S. V. Ernesti* de eo ex instituto commentatus est. (a) Ad quae paucissimis hic nonnulla notare animus est. Contendit ibi scilicet Vir doctissimus, si quoque non Θεȣ sed κυριȣ vera lectio esset, *Wetstenium* tamen ausibus suis excidere, quibus Deitatem Christi ex hoc dicto probandam euellere conatur, quia scilicet LXX. vocem יהוה per κυριος exprimunt, adeoque,

(aa) In specimine castigationum Wetstenii, in opusc. philol. et crit. p. 335—343. Adde *Griesbachium* lib. cit. ad h. l. p. 140. sq.

adeoque, si κυϱιȣ legendum foret, hoc maiori quadam emphasi Deitatem Christi innueret. Verum, quod pace Viri Celeberr. moneo, haec conclusio tum demum valere videretur, si κυϱιος aeque ac יהוה Deo soli propria esset denominatio, de quo tamen lectoribus N. T. difficillime persuasum iri putarem.

§. XII.

Iam ad *formas loquendi*, seu phrases progredimur, et breuius disquiramus, num hic Sociniani praeconcepta opinione et hypotheseos adstruendae amore liberi sint. Cum Christum ante natiuitatem suam ex Maria reuera non exstitisse asseuerent, huius probandi caussa etiam prouocant ad phrasin de *aduentu Christi in mundum*, quem etiam natiuitatem Christi complecti plurimi Theologorum statuunt et inde colligere solent, ipsum iam ante hanc natiuitatem vllo modo exstitisse debere. Sociniani vero locutionem hanc non nisi de munere ipsius capessendo absque respectu ad natales suos humanos exponendam esse volunt. Non hic in lite, de dogmatibus inter Socinianos et Antisocinianos exorta, componenda versamur, ideoque rei huic ipsi disquirendae non operam damus, sed tantum de hoc loquendi modo eiusque sensu quaedam proponimus. Primum ipsos differentes audiamus. *Brenius* ad Ioh. I. 9. haec notat: *Est autem* ἐϱχεσθαι εις τον κοσμον *vel simpliciter* ἐϱχεσθαι *nomine et mandato Dei munus aliquod obire apud homines v.* 15. *Ioh. VI.* 14. X. 36. *XVII.* 18. *Math. III.* 11. 1 *Ioh. I.* 2. 3. *V.* 6. 20. *IV.* 1. 3. Eadem notat *Ostorodtius* lib. cit. p. 91. *Eniedinus* ad Hebr. X. 5. p. 409. sequentia scribit: *Si quis scripturam ducem sequatur: Christus in mundum venisse et ingressus esse dicitur, vel quum post baptismum spiritu sancto inunctus, et inuauguratus, docere et miracula coepit facere: vel cum in coelum ascendens se Deo hostiam obtulit. De qua re in hac epistola disputatur copiosius; vel denique cum ius haereditatis gentium per apostolorum praedicationes adiit. Schlichtingius* eadem proponit lib. cit. ad Ioh. I. 9. p. 9: *Itaque* venire in mundum, *hoc loco est venire ad homines. Sic et Apostolos Christus mittere se dicit in mundum: Sic et antichristi dicuntur venisse in mundum. Sic et Christus ipse mox dicitur* venisse in propria, *id est, ad propria. Qui hic interpretantur* venientem




nientem in mundum, *primum non considerarunt, phrasi* venire in mundum *non significari, nasci, sed iam pridem natum, venire ad homines vt diximus. Est enim mutua relatio inter venire in mundum et mitti in mundum, qua de re vers. 6 et 7. egimus.* Concedi potest, vti omnino debet, formulam hanc vt plurimum de negotio demandato inter homines peragendo vsurpari, quod et loca citata declarant, et aliunde patet. Verum hanc loquendi formam nulla prorsus ad natales Christi ratione habita dici, varia scripturae effata non permittunt. In iis, quae e. g. Christus de se ipse Ioh. XVI. 28. dicit, cum *mundum relinquere* non de finiendo docendi solum munere valere debeat, sed de exitu ex mundo per mortem, vi oppositionis putem, nec το εληλυθεναι εις κοσμον, solum de docendi negotio sed et de ingressu in mundum per natiuitatem sumi debere. Praeterea et *Brenius* per loca quae citauit et *Schlichtingius* diserta declaratione recte innuunt, ad eruendam significationem phraseos τȣ ερχεσθαι εις κοσμον, simul respiciendum esse ad missionem diuinam, cui Christus toties totiesque aduentum suum superstruit Ioh. VIII. 42. Haec vero missio Gal. IV. 4. non de docendi munere, sed de natiuitate Christi aperte dicitur.

Summum quod Deo filioque eius vnigenito acceptum referimus beneficium, et cuius partem scripturae sacrae sic exprimere solent, vt Christus homines *a peccatis mundasse, redemisse* dicatur, valde minui apparet, si ad id solummodo refertur, quod doctrina sua et exemplo de sanctitatis studio, quod ab omnis generis peccatis abhorret, egregie promouendo meritus sit. Recte potius docetur et defenditur, etiam veniae peccatorum ante actorum consequendae rationem habendam esse. Αφεσις enim αμαρτιων, quam Christo Seruatori ex consilio Dei debemus, et peccatorum odium ac fuga, quo per eundem simul ducimur, inter se differunt, licet, ea certo et mutuo nexu sibi arctissime iungi, bene doceatur ac probetur. Nec in eo solum opus Christi nostri caussa peractum constitisse Sociniani perhibent, quod ad peccata fugienda virtutemque strenue sectandam nos excitare voluerit. Aperte potius, praesertim Crellius et Schlichtingius, vbi exegetica tractant, de peccatorum venia apud Deum per Christum et ob Christi mortem hancque praegressas afflictiones impetranda, iis se expediunt verbis, vt fere plane eadem statuere videantur, quae alii Protestantium coetus

Theologi

Theologi in hoc capite defendunt. Ipsi audiantur. *Crellium* hoc nomine citamus, qui ad Math. I. 21. f. 17. phrasin, *a peccatis liberari*, sic explicari iubet: *Qualis illa salus, quaue in re sit constituta docuit angelus, cum dixit, cum seruaturum seu liberaturum populum suum* a peccatis ipsorum. *Quibus quidem verbis, duplex liberatio significari videtur, pro duplici acceptione vocis peccati. Nam et proprie accipi potest, pro ipsis diuinae voluntatis transgressionibus, et improprie per Metonymiam causae efficientis, pro reatu ac poena peccatotum, vt in sacris litteris sat crebo contingit et nominatim in omnibus locis in quibus remissionis peccatorum fit mentio. Ab vtraque enim re Christus populum suum liberauit, vt alibi docetur. Quanquam hoc loco vocem peccati posteriori inprimis modo accipiendam arbitramur, ita vt hic liberatio a reatu ac poena peccatorum intelligatur. Et si quis contendat, non vtramque significationem sed alterutram tantum retinendam esse, satius est posteriorem retinere quam priorem. Quanquam interim liberatio ab ipsis peccatis seu transgressionibus diuinae voluntatis veluti consequenter in liberatione a poenis peccatorum contineri censenda erit, tanquam illius medium seu requisitum, quod nobis Christus quodammodo suppeditabit. Etenim dubium non est, quin hic angelus id exprimere voluerit ob quod Christo proprie nomen Iesu, quod seruatorem significare diximus, sit imponendum, quodque maxime pertineat ad felicitatem populi diuini, quam per Christum illi afferendam esse hoc nomen debebat portendere. Id autem per se non est liberatio, ab ipsis voluntantis diuinae transgessionibus: sed ab earum poenis. Illa licet a Deo per Christum fuerit profecta atque in hominibus quodammodo perfecta, ad officium tamen hominum magnam partem per se pertinet. Altera vero illa liberatio non ad hominum officium pertinet sed merum Dei beneficium est inter illos collatum: quod vbi perfecte consequentur, perfectam simul felicitatem consequentur.* *Ostorodtius* de locutione, *a peccato mundari* p. 320. sic loquitur: Das wort, Reinigen bedeutet nicht allewege die sache selber, sondern die erklärung oder Beweisung derselben Leuit. XII, v. 7. 8. cap. XIII. et XIV. XV. v. 15. XVI. v. 30. derhalben kann nach dem gebrauch der H. schrifft recht v. wohl gesagt werden, daß uns das Blut Christi von allen sünden reinige, wenn es schon nicht mehr thet:




denn nur erklärete vnd bewiese, das vns Gott von allen vnsern sünden ge einiget hab: sintemal Gott mit demselben, gleich swie mit einem siegel der vergebung vnserer sünde, welche er vns zugesagt, versiegelt, v. also den newen v. ewigen Bund mit vns aufgerichtet vnd gestifftet hat. Idem p. 322. haec habet: Auch wird wegen einer andern vrsach, von Christi Blut gesagt, daß es unsre sünde reinige, v. vns von sünden abkauffe, nemlich weil es eine vrsach ist, daß wir von sünden ablaßen und zu sündigen aufhören, 1 Pet. I. v. 18. 19. cap. II. v. 24. 25. Hebr. IX. v. 14. Gal. I. 4. Tit. II. v. 14. Eph. V. v. 25. 26. *Schlichtingius* ad 1 Ioh. I. 9. p. 372. ita: Et mundet nos ab omni iniquitate. *Reatu nimirum omnis iniquitatis nos soluendo, et iustitiam nobis imputando. Idem* ad 1 Ioh I. 7. p. 371. haec habet: *Alluditur hic ad sanguinem victimarum, quae typus erant Christi, simulque earum sanguini Christi sanguis opponitur. Nam sanguis victimarum non habebat vim purgandi omne peccatum, solas tantum ignorantias et infirmitates purgabat, vt legere est in Lege. At filii Dei sanguis omne peccatum purgat, nam et pro omnibus omnium peccatis ex Dei voluntate et mandato fusus est. Ideoque Deum mouet et penitus obstringit, vt omnibus in Christum credentibus, et in luce ambulantibus, peccata condonet, et eorum reatu ac poena soluat: tanto magis quod haec Christi obedientia, qua se victimam dedit pro mundi peccatis, et se demisit ad mortem, eamque crucis, Deo fuerit omnium gratissima. Vnde etiam Christus dicitur sese tradidisse pro nobis victimam et oblationem Deo in odorem suauitatis Eph. V. 2. Ita igitur Christi sanguis non tantum peccata nostra emundat, sed etiam emundata esse ostendit, tanquam certissimum pignus remissionis peccatorum nobis a Deo datum. Neque enim de remissione peccatorum dubitare possumus, postquam Dei filius ille singularissimus et omnium charissimus victima pro iis, Deo sic mandante, factus est. Ingens in eo est Dei charitas, quod non tantum voluerit nobis peccata remittere omnia, et insuper vitam aeternam donare: sed etiam tanto pignore sese ad id faciendum obstringere.* Si haec Crellii et Schlichtingii testimonia de liberatione a peccatis hominibus per Christum procurata et secum inuicem et cum multo pluribus, quae in illorum scriptis exegeticis passim occurrunt contuleris, verba fere eadem esse

videbis,

videbis, quibus reliqui Protestantium Theologi sententiam suam de eodem argumento declarare solent, mens vero et sensus plurimis multum differre videbitur. Et si mentem ac sensum aliorum Theologorum de hac materia non aeque ex verbis hic vsurpari solitis (e. g. satisfactionem Deo a Christo pro nobis praestitam, Deum nobis per Christi afflictiones vicarias expiatum, reconciliatum esse, iram Dei sic sedatam, iustitiam eius mitigatam esse rel.) quae fere omnia ambiguitate quadam laborare, nec in proprietate sua natiua intelligenda, sed vlteriori addita rei his verbis declaratae explicatione ex scripturae dictamine enucleanda esse mihi videntur, ac quidem potius ex vberioribus his mentis suae declarationibus, scripturis et summis summi Dei perfectionibus consentaneis, terminis technicis et tropicis, quantum fieri potest, nudatis, metiri velis; minor dissensus intercedere videbitur, quo minus dissentientes propius sibi iungantur. Quae vero neutiquam eo trahi velim, ac si statuerem, Socinianos Theologos cum reliquorum coetuum Theologis plene conuenire, sed id inde effici putem, ipsa Socinianorum testimonia indicio esse, Christum maius aliquid perfecisse, quam veram solum religionem docuisse, suaeque doctrinae veritatem morte confirmasse, et non optime constituta vocabula, quibus multi iusto tenacius inhaeserunt, obstitisse, quo minus doctrina scripturae, de gratia Dei per Christum, nobis *parta*, pluribus arrideret et hodienum arrideat. Per Christi enim calamitates a Deo ipsi inflictas, et optime compensatas, a Christo hominum nomine toleratas, obstacula remota esse, quae impediebant, quo minus Deus omnis generis iniquitatum maxime strenuus vindex homines varia iniquitate infectos sibi gratiosos habere et tractare posset, sicque iuncto sincerissimo virtutis, licet non omnibus numeris absoluendae, studio, hominibus aditum ad gratiam Dei, qua in ipsos ab aeterno affectus fuit et in aeternum manet, per Christum patefactum, *redditum* et tutissimum praestitum esse, oracula diuina, si iunctim sumuntur sibique rite conciliantur, clarissime declarant.

Ad aliam loquendi formam progredimur. Christus cum in terris adhuc degeret, *se de coelo descendisse*, *in coelo se antea fuisse* satis clare perhibet. Haec qui legit et ingenue secum pensitat, primo obtutu Christum sic declarasse intelliget, se tempore prius, quam in terris degere

 coepit,




coepit, vere exstitisse. Nec quis facile in eo offendetur, qui multo excellentiora de Christo praedicata esse ex scripturis nouit. Id vero cum Theologi Sociniani de Christo in scriptura S. edictum esse negent et pernegent, phrasin hanc secus explicare student, verum ita simul inter se hic dissentiunt, vt, quae alii illorum statuunt, alii statui posse negent. Ex *Brenio* ad Ioh. III. 13. haec damus: *Ascendere in coelum dicitur qui mente assurgit ad coelestium mysteriorum siue arcanorum Dei intelligentiam Prov. 30, 4. Ps. 73, 17. Hic autem Christo soli tributa haec phrasis, cum exclusione aliorum significat praeditum esse intelligentia mysteriorum coelestium plena ac perfecta. Alludit ad Dan. 7, 13.* ο ων εν τω ȣρανω, *Qui est in caelo, hoc est, qui non semel nec per interualla sed perpetua ad caelestia illa introspicienda admittitur, sicque velut in intimo Dei sacrario semper versatur. Phil. III, 20. Eph. II, 6.* Ad Ioh. VI, 62. *idem* haec profert: οπȣ ην το προτερον, *Spiritu scilicet, dum adhuc in terris esset, ad dignitatem regni coelestis subuectus. Alii statuunt Christum reuera in coelo fuisse, antequam munus suum obiret; idque eo probabilius censent, quoniam Paulus ad tertium vsque caelum raptus fuerit et ibi ineffabilia audierit. — — Intermedii autem istius adscensus qui corporaliter factus sit, nulla vspiam mentio fit, nisi sub verbis obscuris et ambiguis, quae iuxta consuetum scripturarum morem figurato potius sensu quam proprio passim vsurpari videmus. Eniedinus* quid hac de re sentiat, sic expressit lib. cit. p. 198. 199. ad Ioh. III. 13: *Neque ad haec verba explicanda illustrior et verior adduci potest interpretatio, quam illud apostoli 1 Cor. II. v. 14. Quod enim hic Christus dicit,* ascendere in coelum *hoc Paulus vocat* capere, cognoscere, diiudicare. *Quod Christus ait* descendere de coelo, *Paulus explicat* per hominem spiritualem. *Atque Nicodemus est exemplum hominis animalis.* Statim sic pergit: *Per descensum significatur natiuitas coelestis, per ascensum vero intellectio. Quasi diceret Christus: Non est mirum te non intelligere quae dico. Ille enim qui haec intelligit* (*et hoc est* ascendere in coelum) *oportet vt renatus sit ex aqua et spiritu* (*et hoc est* descendere de coelo.) *At nunc quidem me excepto nondum quisquam est renatus, propterea nemo potest, nunc quidem, hanc doctrinam capere.* Allegat porro 1 Ioh. IV. 5. 1 Cor. XV. 47. Iac. III. 15. I. 17. *At-*

que

que hunc loquendi modum, tanquam prouerbialem esse, etiam prophanorum exempla docent: Nam Satyricus, vt excellentiam illius Delphici apothegmatis exprimeret, dixit: — de coelo descendit γνῶθι σεαυτόν. *Denique* esse in coelo, *non est loco hoc aliud, quam frui intelligentia et cognitione rerum coelestium. Sicut de omnibus piis dicit Paulus Phil. III. 20. Eph. II. 6.* In loco Ioh. III. 13. ex verborum contextu, cuius consideratio non vltimum iustae interpretationis praesidium est, explicationi huic color quidam adpingi posset, cum in praecedent. vers. 12. de scrutatione rerum sublimium sermo sit. Si vero perpendimus, formulam hanc ἀναβαίνειν εἰς οὐρανὸν et καταβαίνειν ἐξ οὐρανοῦ nullibi alias in scripturis de coelestium rerum meditatione adhiberi, sed semper de respectu quodam locali dici Rom. X. 6. et in verborum ipsorum sensum inquirere primum boni interpretis esse officium constat; si porro meminimus, Christo morem fuisse in colloquiis cum aliis institutis cito ad personae suae excellentiam describendam delabi, etiam hic ipsum de persona sua loqui forte apparebit. Accedit, quod Christus reuera terris exemtus ad coelestia transierit. Loca ad stabiliendam illam explicationem citata perquam male in subsidium vocari, patere videtur, siquidem in iis omnis materiae substratae natura docet, illis alium sensum subesse non posse, quod vero in loco, de quo agimus, secus se habet. Quomodo locus Ioh. VI. 62. de ἀναβάσει eiusmodi spirituali exponi possit, plane non intelligo. Socinus ipse ergo, eiusque asseclarum nonnulli, qui ἀνάβασιν hanc mente factam hic ferri posse negant, et id argumentis satis idoneis probant, alio modo, ne sententiae suae conceptae derogent, se explicant. Quorum sententiam hic *Schlichtingii* verbis adferemus, qui lib. cit. ad Ioh. III, 13. p. 28. ita disserit: *Caeterum verba Christi clarissima sunt, Filium hominis, (ante suam nimirum praedicationem) ascendisse in coelum, et e caelo descendisse, et res ipsa loquitur, nullum hominem posse prius e coelo descendere, quam in coelum ascenderit. Qui hic ad Metaphoras et improprias locutiones confugiunt, sine vlla necessitate id faciunt; cum non tantum absurdum non sit, vt Filius hominis id est, Christus ille Dei et Filius eius unigenitus, ante suam praedicationem, ad Patrem in coelum ascenderit, et rursus a patre e coelo descenderit ad homines; sed etiam maxime conueniat. Ascendit*

Apostolus



Apostolus Christi in coelum ad gentes mittendus; cur non ascenderit Christus Apostolorum Magister et Dominus? Ascendit seruus, cur non ascenderit Dei filius vnicus? Quid magis decuit, quam vt is, qui Dei sermo κατ᾽ ἐξοχὴν *futurus esset, non per solam Spiritus Sancti vim, Dei arcana cognosceret, sed etiam apud Deum esset, et Deum videret? ascenderat Moses Christi typus, in typo, qui erat mons ille Sinai excelsus; cur non ascenderit Mosis antitypus, Christus, in antitypo, id est, in veritate, in ipsum caelum? Ascendit Enoch, et Elias, cur non ascenderit Christus? et illi quidem, vt descenderent, nihil erat opus, at, vt Christus descenderet, opus erat. Neque facile metaphoras et improprias locutiones expediuerint, qui eas hoc in loco quaerunt; praesertim, quia Christus alibi, vt vidimus, dicit:* Si igitur videritis Filium hominis ascendentem, vbi erat prius Ioan. VI. 62. *Certe non per metaphoram, seu animo tantum erat, (nam etiam tum, cum haec diceret, animo in coelis erat) sed proprie. Nec per metaphoram, sed proprie illuc erat ascensurus. Cur igitur, si proprie in coelo erat Filius hominis, ante hunc, quem futurum esse dicit ascensum, et in coelum etiam ante hunc eundem ascensum dicatur ascendisse; non proprie eum ascendisse putamus? Neque enim alius modus dari poterat, vt filius hominis proprie loquendo in coelo esset, quam vt proprie loquendo in coelum ascenderet. Scimus quidem, aliquem in coelum ascendisse, in coelo esse, de coelo descendisse dici posse, propter animum ad coelestia euectum, in coelestibus totum haerentem et occupatum, et coelestia deferentem ad homines: sed nulla causa est, vt in Christo a proprio et opulento sensu recedamus ad metaphoricum, praesertim cum alibi Christus dicat, se Patrem vidisse, se a Patre exiuisse, et venisse in mundum, rursum relinquere mundum, et ire ad Patrem. Non ibat autem animo tantum ac mente, seu per metaphoram, sed vere ac proprie. Cur ergo non etiam eodem modo credatur a Patre exiuisse et in mundum venisse. Oppositio enim vt apta sit, iisdem in terminis versari debet.* Recentius *Samuel Crellius* sententiam hanc satis copiose nouis ex parte adscitis argumentis ornare studuit, cui *B. Moshemius* in peculiari differt. *de raptu Christi in coelum, quem Sociniani fingunt,* quae ad refellendam hanc opinionem faciunt, satis subtiliter opposuit. (bb) Vnicum

(bb) Recusa haec differt. exstat in syntagm. differtt. ad sanct. discipl. pertin. P. 333.

Vnicum addimus. *Eniedinus* putat, verba εν πνευματι Math. XXII. 43. idem significare, quod alias mystice, spiritualiter intelligendum dicere mos obtinet. Haec eius sunt verba p. 109 sq: *Christus clare explicat, quo modo Dauid appellauerit Messiam Dominum;* εν πνευματι *inquit. Quae quidem loquendi formula idem significat, quod* πνευματικως *Idem* et p. 370. affirmat: *Nam docent Grammatici, praepositionem* εν *cum datiuo saepe vicem aduerbii tenere. Rom. I. 18. XVI. 20. Apoc I. 1. XXII. 6. XVII. 2. 2 Ioh. I. Math. XXII. 16. Marc. XII. 32.* — *Ergo eadem forma hic prorsus dicitur,* εν πνευματι *pro* πνευματικως. *Vnde apparet, Christum hoc Psalmi dictum non literaliter et historice, sed spiritualiter et mystice acceptum intellegisse et citasse.* Cui *I. Crellius* concinit lib. cit. T. II. f. 76. ad Hebr. I. 3. scribens: *De Dauide enim, quod et alii ante nos agnouerunt, primo seu typico sensu psalmus loquitur. Nam licet Dauid eius autor fuerit, et mystico sensu is ipse, vt Christus docet, Christum dominum suum vocet: tamen ita fuit compositus hic psalmus, vt a populo, aut ab vnoquoque e populo tunc caneretur de Dauide.* Quam ibi Eniedinus linguae graecae consuetam formam adfert, notissima et pluribus aliis idiomatibus, Latino, Germanico communis est. Verum hic significatio vocabuli πνευμα praeprimis consideranda est, quod eo sensu nullibi in S. S. occurrit. Μυστηριον potius hoc sensu in Scr. S. adhibetur, e. c. Math. XIII. 11. Marc IV. 11. Luc. VIII. 10. Eph. V. 32. Inspectio potius loci paralleli Marc. XII. 36. docet, εν πνευματι hic verti debere, per Dei suggestionem et reuelationem, qui significatus et alibi in S. litteris haud inusitatus est, Math. X. 20. Act. XI. 28. Vnde solita de prophetis locutio exstitit ad statum θεοπνευστιας designandum, ipsos εν πνευματι fuisse, locutos esse. Et Eniedinus ipse hunc significatum admittit, si p. 111. rectius scribit: *Dauid igitur cum* ex afflatu Spiritus Sancti

K *maiesta-*

p. 333 Vnde *Crellii* argumenta hic paucis describimus. Sententiae suae praesidia petiit et ex dictis scripturae Ioh. VI 61. III. 31. ex forma loquendi *venire de coelo*, ex Gal. IV. v. 6. Phil. II. 6. Hebr. I. 3. et ex aliis argumentis scilicet ex Eusebii loco in Hist. Ecclesiast., vbi Thaddaeus asserit, Christum de Patre *solum* descendisse, ex Simonis Magi et Muhamedis raptu in coelum affectato: ex loco dialogi, qui Luciano tribuitur, Philopatris inscripti et ex Nouatiani loco in libro de Trinitate.

maiestatem regni Messiae animo conspiceret, *ad eius amplitudinem quasi obstupefactus Messiam appellat Dominum suum.* Nec hoc omittendum esse putem, Christum, si εν πνευματι, *mystice*, sumendum esse voluisset, in gratiam sententiae Pharisaeorum disputasse, ipsisque responsionem ad suam propositam obiectionem suppeditasse. Nam si respectu tantum mystico Christus Dauide maior esset, optime sic Pharisaei obiectam illis quaestionem pro sua ipsorum stabilienda sententia, qua Christum Dauide minorem esse statuebant, soluere potuissent. (cc)


§. XIII.

Quanto quamque necessario adiumento in iusto interpretandi negotio *locorum similium*, vbi vel idem argumentum tractatur aliisque verbis proponitur, vel in diuerso argumento eaedem loquendi formulae adhibentur, collatio sit, hic monere non opus est. Nec maximi huius subsidii hermeneutici vsus Socinianos latere potuit. Magnas vero cautiones in iusto eiusdem vsu adhibendas esse, ne veri specie fallaris, nemo inficias ibit. Nec materiam hanc in praeceptis hermeneuticis iam exhaustam esse videre videor, licet multae egregiaeque leges ea de re latae prostent. Iam ad argumentum propositum redeamus, vbi Socinianos parellelismi adhibendi necessitatem videre beneque de eadem sentire, verum etiam in applicatione et vsu eiusdem haud raro peccasse animaduertemus. Vt de primo quaedam saltem adferamus, praeter alios *Eniedinum* hac de re differentem audiamus, qui lib. cit. p. 153. de hac materia haec scribit: *Optimam interpretandi viam ingressi videntur mihi esse illi, qui non ex peregrinis quibusdam tum linguis tum doctrinis sed ex similium scripturae locorum collatione mentem scriptoris peruestigare et illustrare conantur.* Pergit. p. 154: *Lector cordatus recordabitur, suam cuique scriptori esse Φρασιν et assuescendum esse stilo eius aut eius aetatis scriptorum, quem obscurum et difficilem esse intellectu animaduerterit. Quo sapienti vsus consilio diligenter obseruabit, quo in sensu quae vocabula ille scriptor sit solitus vsurpare. Hoc ergo etiam nos sequamur.* Perbene sic de materia hac praecipi quisque videbit,

(cc) Vid. *Wolfii* cur. philol. et crit. ad. h. l. et S. R. *Lilienthalii* gute Sache der Offenb. T. II. p. 633.

videbit, ſed vix mihi perſuadere poſſum, negotium ipſum ad legem hanc ſuſcipiendum ipſis aeque feliciter proceſſiſſe. Specimina quaedam et de parallelismo qui vocatur, verbali et reali dabimus. In *Cat. Rac.* cap. von der Erkenntniß Gottes p. 43. haec legis: Obgleich in der Taufe der Vater, Sohn u. H. Geiſt bey einander ſtehen, ſo kann man gleichwol nicht daraus ſchlieſſen, daß der Vater, Sohn, und H. Geiſt drey perſonen in einer Gottheit ſein ſollen. Denn das iſt nicht new in H. Schrifft, das in ſolchen ſachen, die nicht weniger göttlich ſind, als die Tauff iſt, ſolche perſonen vnd dinge neben Gott gemeldet werden, die da keineswegeꝭ zu ſeinem weſen gehören können. Wie du deſſen ein exempel haſt erſtlich von perſonen, 1 Sam. 12, 18. Exod. 14, 31. darnach v. Dingen Act. 20, 32. Eph. 6, 10. Primo ſtatim obtutu cuiuis cordato patebit, diuerſiſſimam eſſe rationem, qua in locis citatis Deus et Samuel, Deus et Moſes, Deus et verbum gratiae diuinae, Dominus et virtus roboris eius, ſibi iunguntur, ab ea, qua Deus pater, Filius, et Spiritus Sanctus, plane alio nexu et alio conſilio in loco Mathaei pari dignitate in relatione ad homines ſaluandos et ad obedientiam ipſis ab hominibus exhibendam coniunguntur. Et facile nos hic labore ſuperſedere poſſe lectores autumabunt, quo fuſius oſtendatur, valde incongruam hanc horum locorum ad ſe inuicem illuſtranda collationem inſtitutam eſſe, quum de Moſe et Samuele alio prorſus modo Scripturae Sacrae loquantur, ac de Chriſto et Spiritu Sancto. Interpretandi modum aeque contortum adhibere mihi videtur *Eniedinus*, ſi ad Pſ. CX. 1. p. 84. inquit: Sedere ad dextram Dei *et* Deum habere a dextris *in ſcriptura pro eodem ponitur. Nam de quo hic dicitur, quod ſedeat ad dextram Dei paulo poſt v. 5. de eodem dicitur, quod Deum habeat a dextris. Atqui Dauid dicit ſe Deum habere a dextris Pſ. XV. 8. Ergo recte etiam de eo dici poteſt, quod ſederit ad dextram Dei.* Quae coniuncta ſunt et ſe inuicem ſubſequuntur, non ideo ſtatim pro aequaliter iisdem habenda erunt, quod vero hic ab Eniedino ſumitur. Qui ad dextram ſumma potentia praediti collocatur, omnino ob hanc coniunctionem cum excellentiori ſimul ab inſultibus nefariis aduerſariorum tutus erit. Hoc autem non niſi conſequens et adiunctum eminentiae collatae reputandum

 erit.


erit. Quiuis vero facile intelliget, locutione v. 1. psalmi citati euectionem ad summam dignitatem et potentiam, qua vero simul ob statim consequentia etiam firmissimum praesidium contra perniciosa hostium molimina comprehenditur, ea autem, quae Ps. XVI. 8. occurrit, potissimum et primario tutelam contra hostes innui, quod hic omnis nexus loquitur. Interea, num dictum hoc sufficiat ad aequalem diuinae maiestatem I. C. stabiliendam, quod Eniedinus negat, hic non tangimus. (dd) Si *Ostorodtius* lib. cit. p. 322. 323. putat, Christum pari nec alia ratione dici mediatorem, qua Moses idem vocatur Gal. III 19. Heb. IX. 15. XII. 24, itidem hypothesi, cui fauet, fallitur. Nullatenus enim adiuncta, quae Christo mediatori tribuuntur, quibusque summopere a Mose differt, negligenda sunt. Vt vnicum duntaxat adferam, vbinam Moses mediator eo describitur modo, quo Christus 1 Tim. II 5. 6? Simili argutandi modo colligere liceret, Christum non nisi apostoli vices gessisse, quia Hebr. III. 1. apostoli nomine insignitur. Quod vero quis ferre posset? Vix a me impetrare possum, vt credam, omnium calculo approbatum iri modum, quo *Brenius* et *Eniedinus* loca Ioh I. 1 et 10. dictorum, quae iis parallela habent, collatione explicant. *Brenius* ad Ioh. I. 1. *Phrasis haec*, προς τον Θεον ειναι, inquit, *significat in decreto Dei absconditum esse Ioh. 8, 58. XVII. 5. Eph. I. 4. 9. III. 9. 1 Ioh. 1. 2. Opponitur ei, quod infra dicitur in mundum venisse, omnem hominem illuminasse, gloriam eius ab apostolis spectatam fuisse.* Idem ad verba: ο κοσμος δι αυτȣ εγενετο Ioh. I. 10. haec habet: *Simili modo de baptista dixit Christus hunc esse Eliam, qui omnia restiturus esset Math. 17. 11.* Alia ad eundem locum dicta in subsidium vocat *Eniedinus* p. 164. haec scribens: *Illud* και ο κοσμος δι αυτȣ εγενετο *recte explicatur per illud Ioh. III. 16.* ινα σωθῃ ο κοσμος δι αυτȣ *et per illud Pauli 2 Cor. V. 19.* Θεος εν χριςῳ κοσμον καταλασσων εαυτῳ *et per illud Ioh IV. 42.* Si quid videre videor, loca haec admodum inuita Minerua ad se mutuo illustranda collecta esse intelligere videor. Linguae ingenium contrariatur, inusitatus verborum significatus prae vsitatiori adstruitur, et vix sacri scriptores sic a praefixo sibi studio ambigue dicendi et poeticarum dictio-

(dd) Vid. *Poli* synopsis ad h. l. Vol. II, p. 1168. et *T. C. Lilienthalii* gute Sache der Offenb. T. II. p. 634.

dictionum formam sectandi immunes vindicari possent. Si *Brenius* ad 1 Ioh. II. 2. haec scribit: *Sic Phineae facto tribuitur ἐξιλασμος de quo Deus testatur, se ob illud factum caeterae multitudini pepercisse.* Num. 25. 13 coll. cum vers. 8. 11. Syrac. 45, 29. item male adhibiti parallelismi reus videtur. Longior, quam instituti nostri ratio fert, disquisitio foret, si fusius narrare vellemus, quantopere expiatio per Pineham et per Christum praestita a se inuicem dissideant. Nec cuiquam rationes defuturas esse credo, quibus haec leuiuscule opposita discutere possit.

§. XIV.

Vt pateat, quaenam Socinianis stet sententia *de variis, quae in N. T. ex V. T. citantur, dictis et de modo, quo allegantur*, quaedam eo spectantia ex illis propinanda erunt, quibus nonnulla addemus. In *Cat. Racouiensi* de hac materia haec leguntur p. 96. sq. Der Ort (Ebr. I. 10.) soll nicht verstanden werden von dem H. Christo, sondern von Gott dem Vater. Das ihn aber dieser heil. Schreiber auf den Sohn Gottes zeucht, in dem muß man das bewegen, das darinne nicht allein von einer sache, sondern von zweien fürnemblich geredt wird; die eine ist die schöpfung des himmels und der Erden: die andere aber derer Zerstörung. Daß aber der schreiber allhier, das erste auf den Herrn Christum nicht zeucht, das ist daraus klar u. offenbar das er ihm in diesem Capittel vorgenommen, nicht eine solche hoheit oder herrlichkeit des Herrn Christi zu beweisen, die er von ihm selber hatte, sondern eine solche, die er ererbet, u. durch welche er herrlicher denn die Engel gemachet ist, wie das aus dem 4 v. ein jeder merken kann. Weil nun solch eine herrlichkeit nicht ist, auch nicht seyn kann, die schöpfung Himmels v. der Erden: so kann man klärl. sehen, das der heil. Schreiber den ort nicht zu dem Ende angezogen hab, als sollt Christus Himmel und Erde geschaffen haben. Weil denn nun das erste den Herrn Christum keineswegs angehören kann; so muß das andere allein ihn angehen. Und das darumb, das Gott durch ihn Himmel u. Erde zerstören wird, zu der Zeit, wenn er das letzte Gericht durch ihn verrichten wird: worinne die Herrlichkeit des Herrn




Christi über die Engel also erscheinen wird, das auch die Engel selbst ihme darinne dienen werden. Welches letzte, weil es ohne die vorigen wort, in welchem die Schöpfung Himmels u. der Erden gedacht wird, nicht hette können verstanden werden; sinntemal es mit ihnen zusammen verbunden durch das wörtlein Sie: darumb hat der Schreiber auch das vorhergehende anziehen müßen. Denn so die andern H. schreiber sich einer solchen weise, einen ort anzuziehen, ohne alle Not gebrauchen, so hat es dieser durch solche not gezwungen billicher thun können. Wo thun die heilige Schreiber solches? Unter vielen andern örtern hastu zum ersten Math. XII. 18-21. da offenbar ist, das allein der 19 v. zum vornemen des heiligen Mathei gehöret. Sintemal er darthun wollte, warumb der H. Jesus verboten, das man ihn nicht sollt offenbar machen. Darnach Act. 2, 16-21. da gleiche weise nur der 17 u. 18 v. zum vornehmen des H. Petri gehören, welches das ist, das er wil beweisen, das der H. geist über die Apostel ausgegoßen war. Und daselbst v. 25-28. da offenbar ist das allein der 27. v. zur vorgenommenen sache gehöre, weil das der Apostel beweiset, das es unmöglich gewesen, das Christus vom Tode habe können gehalten werden. Endlich in demselben cap. v. 8. 9. da man sehen kann, das die wort du hast geliebet die gerechtigkeit und gehasset die ungerechtigkeit, nichts zu den sachen thun, welche der Apostel beweiset, welche ist, das Christus herrlicher gemachet ist, denn die Engel. Eundem etiam callem *I. Crellius* premit lib. cit. T. II. f. 83. sq. Argute hic distinctio infertur, qua ea tantum verba ex psalmo citata, quae de destructione terrae agunt, consilio auctoris respondere, reliqua vero de terrae instauratione loquentia praeter illud comitatus solum gratia huc ab ipso trahi feruntur. Quiuis enim facile videre potest, verba quae de fundatione coeli et terrae citantur, consilio auctoris, quo summam Christi excellentiam adstruere conatur, neutiquam repugnare, apprime potius conuenire. Hanc vero in Christum cadere non posse, probandum esset, quod vero hic ceu euictum iam supponitur. Quae *Crellius* ideo hac de re addidit, perquam ficulnea videntur et ex probandis probanda colligit. En eius verba ex loc. cit. f. 84: *Dices, cum haec verba de Deo in Psalmo prolata*

sint,

sint, non magis potuisse diuinum Autorem abolitionem caeli et terrae quam creationem Christo verbis istis Psalmi attribuere; nec minus in illa, quam in hac Christo vindicanda, pro concesso sumere, Christum ipsum Deum esse, quem Psalmus iste celebret, eique et creationem et abolitionem caelorum ac terrae tribuat. Respondes aliam esse rationem creationis, aliam abolitionis caeli et terrae. Creationis enim actio ad regnum Dei, quod per Christum administrandum erat, et nunc administratur, non pertinet: abolitio autem pertinet, et inter praecipuos maximosque illius effectus censeri debet, idque Hebraei isti, qui Christiani erant, ignorare haud poterant, proinde cum in hoc Psalmo, ex quo testimonium istud sumptum est, agatur mystico sensu de regno Dei per Christum olim instaurando et administrando; merito abolitio caeli et terrae, cuius hoc in loco fit mentio, Christo, tanquam ea in re subordinato Deo, attributa est. Ex hac autem coeli et terrae abolitione quam Deus per Christum, tamquam dominum ac regem a se effectum, suo tempore perficiet, facile quantum dignitate ac maiestate Christus praecellat, intelligi potest. Dices adhuc: Cur ergo D. Autor priora verba citauit, quandoquidem ad rem et scopum non pertinent, et ad Christum referri nec debent, nec possunt? Istud ideo factum est, quod sequentia verba in quibus ei abolitio coeli et terrae tribuitur, ita cum illis per pronomen ipsi *cohaereant, vt absque mutatione sine iis citari non potuerint. Sensus enim verborum intelligi non potuisset, si ita coepisset verba illa citare Autor,* Ipsi peribunt etc. *Quid enim intelligendum esset per vocem* ipsi, *quae relatiua est, et ad superiora respicit, non apparuisset. Praestabat autem integrum afferre locum, quamuis non omnia illius verba ab ipso initio ad propositum facerent, quod saepe in locorum citationibus vsu venire solet, verbis ac sententiis inter se consertis atque connexis, quam cum non necessaria mutatione mutilatum ac veluti temeratum adducere, praesertim cum, vt supra diximus, ad eos scriberet Auctor, quibus nullum in eo esset erroris periculum.* Facillimo, quantum video, negotio loco αὐτοὶ, dici potuisset γῆ καὶ οὐρανοὶ, et si hic, quod Sociniani volunt, erramus, certe erroris huius ansa suppeditatur ex addita primi membri huius citatione, quod facile omitti potuisset, idque eo magis, cum consilio auctoris de summa Christi auctoritate verba facientis prorsus non contrarientur. De reliquis quae in Ca-


Catechismo



techiſmo citantur locis facile probari poteſt, quod alii iam oſtenderunt, ea citationum membra, quae Sociniani ſuperflua additamenta vendunt, haud absque conſilio auctorum addita fuiſſe. Magna quidem ſedulitate etiam alia argumenta quaeſita et conſtipata vides, vt locum hunc ſententiae ſuae fauere confirment, ſed parum iis ineſſe roboris videtur. In eodem *Catechiſmo* p. 146-148. ad argumentum, quod pro Deitate Chriſti ex variis locis in V. T. de Deo dictis, quae in Nouo de Chriſti praedicantur, ducitur, euellendum p. 148. haec dicuntur: Aus welchen Ortern ſie alſo argumentiren: Weil alles das, was in den Ortern von dem Gotte Iſraels unter dem alten Bunde geredt wird, im newen Bunde vom HErrn Chriſto geſagt wird, ſo iſt Chriſtus der Herr der Gott Iſraels und folgends Gott von Natur. Auf die Orter kann man zugleich alſo antworten, das aus dem allein die göttliche Natur in Chriſto gleichwol keinesweges könne geſchloſſen werden. Denn es kann viel ein ander vrſach ſein, vnd iſt auch, vmb welcher willen das, was in dem alten Bunde von Gotte geſagt iſt, in dem Newen auf den Herren Chriſtum gezogen wird, außer der göttlichen Natur. Eo ſcilicet modo, quo de Moſe dicitur, quod populum Iſraeliticum ex Aegypto eduxerit, licet Deus ipſe hoc fecerit, quia nimirum intima ipſi cum Deo coniunctio et conuerſatio fuit. Quantopere vero Moſes et Chriſtus in hac parte inter ſe ex Scripturae dictamine diſtent, ſatis patet. Iam de eodem argumento ex *Eniedino* nonnulla colligamus, qui lib. cit. ad Pſ. XCV. 8. p. 78. haec ſcribit: *Vſitatum et confeſſum eſt, dicta vet. teſt. non ſemper eo ſenſu applicari ad Chriſtum quo poſita ſunt in veteri.* Ad Pſ. XCVII. 8. p. 79. ſic: *Totus aliquis tractatus aut integra hiſtoria propter vnius ſententiae citationem et alicui applicationem eodem referri nec poteſt nec debet nec ſolet.* Ad Math. I. 21. p. 103. ita: *Facile eſt cuiuis obſeruare, cum alios Noui T. ſcriptores ſaepe tum fere ſemper hunc Euangeliſtam (Mathaeum) leui occaſione et propter exiguam conuenientiam aut ſimilitudinem (etiam ſolorum vocabulorum) V. T. dicta producere. II. 23. Quae tamen non prorſus neque in omnibus verbis cum re de qua in N. T. agitur conueniunt. Ne longe abieris paullo poſt cap 2, 17. illud Ieremiae:* Vox in Rama audita eſt etc. *applicat Bethlehemiticis matribus. At propheta nec de Bethlehem*

nec

*nec de matribus infantium occisorum illa scripserat. **Aliud est Rama, aliud Bethlehem; alia Rahel, et aliae matres hae orbae.*** Ad Eph. IV. 8. p. 300 hoc modo: *Omnia fere, quae ex V. T. citantur, et Christo in N. T. applicantur testimonia, non rerum identitatem sed quandam tantum similitudinem denotare: et multi doctissimi viri memoriae prodiderunt et liquidissime exempla plurima demonstrant.* Ad Hebr. I. 6. p. 387. haec habet: *Dictum aliquod dupliciter dici potest citari, primo cum eadem verba et idem sensus verborum retinetur vtrobique. Secundo cum allusio tantum quaedam fit ad locum, et vel verba vel sensus vel vtrumque inflectitur et immutatur. Siue vt planius loquamur, id quod historice et literaliter vno in loco accipitur, in alio spiritualiter et mystice vsurpatur.* Ad Hebr. I. 10. p. 393. sic loquitur: *Solere tam sacros quam alios scriptores, vnius sententiolae, aut etiam voculae causa, integras et aliquando prolixiores etiam sententias adducere, in confesso est.* et p. 394. ita: *Iam diximus auctorem epistolae istius omnia vet. test. et dicta et facta allegorice ad nouum applicare vt ostendat, antiqua fuisse figuram nouorum et Nou. Test. esse complementum veteris. Itaque plurima adducit ex V. T. quae longe alia de re et sensu dicuntur apud prophetas. Sed propter quandam vel vocum vel rerum similitudinem, applicat illa ipse Nouo Testamento,* Quaedam adhuc ex *Crellio* de hac materia addimus. Ad Math. II. 17. T. I. l. c. f. 30. haec scribit: *Obseruandum est id, quod semel dicendum, ne dicere saepius cogamur, ea quae in Veteri Testamento sensu praesertim literali de aliis, siue rebus, siue personis dicta sunt, ad alias res personasve in Novo non raro referri: idque vel propter subordinationem quandam, vel propter rerum quandam similitudinem, vel propter utramque. Similitudo autem illa non unius est generis; interdum enim talis est, ut res aut persona una alterius sit typus. Interdum nulla est huiusmodi inter illa relatio, sed alias unius sunt generis: quod posterius et hoc, et cap. 15. v. 7. 8. loco contingit. Interdum dilutior quaedam, ut ita dicam similitudo inter res diversas cernitur, propter quam verba de alio in Veteri Testamento elata, ad alia in Novo accommodantur; cuius generis exempla habemus inter alia ad Rom. 10. 6. sqq. ubi quae de lege olim fuerant dicta, ad iustitiam fidei referuntur: et v. 18. ubi quae de coelis Psaltes dixit, accommodantur ad Apostolos: et de hoc postremo ge-*



genere interdum nominatim dicere solemus, *verba per accommodationem saltem ad hanc illamue rem referri.* Idem lib. cit. T. II. f. 82. haec tradit: *Sciendum est*, *veteris scripturae testimonia*, *quae de alio quopiam prolata sunt*, *ad alium etiam referri a scriptoribus N. Foederis solere: vel propter conuenientiam et similitudinem*, *quae inter vtrumque est*, *vel propter subordinationem vt dicitur. Propter similitudinem*, *vel quod is de quo in Nouo Foedere sermo est*, *figuratum est*, *seu antitypus eius de quo verba accipiuntur in veteri: quo pacto duplex semper est verborum sensus*, *unus literalis*, *alter mysticus*, *quorum ille typo*, *hic antitypo conuenit*, *quemadmodum supra vers.* 5. 8. 9. *vidimus: vel quod*, *licet vnum figuratum*, *alterum antitypus non sit*, *propter similitudinem tamen quandam eadem verba*, *quae de uno simili dicta sunt*, *alteri applicentur; quo pacto Christus Math.* 15, 7. 8. *Iudaeis suo tempore viuentibus Esaiae verba*, *de patribus ipsorum olim prolata*, *accommodat. Propter subordinationem*, *cum verbi gratia ea quae de Deo dicta fuerunt*, *ad Christum referuntur*, *ideo quod Deo in iis subordinatus sit. Cuius rei*, *ne alia commemorem*, *apertum exemplum habuimus supra v.* 6. *quo pacto etiam*, *illa Dei verba*, posui te in lucem Gentium *Esa.* 49. 6. *de Christo mystico sensu dicta*, *propter subordinationem apostolis accommodat Paulus Act.* 13. 47. *Et huiusmodi quidem locorum non necessario duplex est sensus*, *ita vt verba ad alium literaliter*, *ad alium mystice pertineant: sed eodem manente sensu ad alium primo ac praecipue referuntur verba*, *ad alium vero secundo*, *quia nimirum illi sit subordinatus. Quare si nonnunquam contingat*, *vt duplex etiam sit verborum sensus*, *id ex euentu est.* Non nostrum hic esse ducimus, ad singula citata loca disquirere, quo vel iure, quaue iniuria modus allegandi a Socinianis perhibitus vere a scriptoribus sacris adhibitus sit. Satis erit, ea attulisse, ex quibus apparere potest, quomodo Sociniani allegata ex V. T. tractent. Ipsos in hoc capite prorsus a vero aberrare, dum vbiuis non nisi meras accommodationes statuere arguuntur, a multis accusati sunt, praesertim ab iis, qui ab altera parte nimia rimari videntur, et vbiuis in hisce citatis talia argumenta probantia deprehendi volunt, quae ad expolitioris dialectices praecepta disquisita omnem probandi vim et neruum rite sustinent, ac dictorum accommo-

da-


dationes admitti aegerrime patiuntur. A variis argumentum hoc tractatum est, (ee) sed rem nondum ad liquidum perductam esse, ex variis Theologorum in hac materia dissensionibus apparet, adeo vt vel ipse *Ernesti* spem abiiciat, vnquam fore, vt in hac materia generalis Theologorum consensus locum habeat. Meras accommodationes dictorum V. T. in N. easque haud raro accurrere, apertum esse videtur. Dicta in N. T. interdum citari, in quibus vel subiectum, de quo in V. T. sermo est, ab eo differt, de quo in N. enunciatur, vel praedicati verba in V. T. alio ac in N. sensu sumuntur, vel vtrumque differt, locorum ipsorum inspectio et collatio clare docet. Et miro parumque proficuo quin inutili studio desudare videntur, qui accommodationes eiusmodi in his locis prorsus exulare contendunt, vbi amborum consideratio monstrat, non nisi vi sensuum identitatem extorqueri posse. Quibus eos e. g. adnumerare haud dubitarem, qui statuerent, in loco Iesaiano LIII. 4. verba, *morbum nostrum tulit*, etiam de curatione morborum externorum intelligi debere, quia hoc sensu Math. VIII. 17. verba haec ad Christum applicantur. Nec sic sacrorum scriptorum grauitati quicquam detrahi, hunc potius aliorum verba citandi modum, nec a communi loquendi vsu nec a Iudaeorum dicendi more abludere, praeter alios *B. G. T. Zachariae* bene monuit. (ff) Bene in hoc argumento praeceptum est, consilium sacrorum scriptorum, quo dicta V. T. in materia substrata citant, probe dispiciendum esse, num scilicet tantum illustrationis caussa, an probandi gratia, an vaticinii complementum monstrandi caussa allegata ex V. T. adhibeant. (gg) Porro, si constat,

 citata

(ee) Quos citatos inuenies in *Mich. Lilienthalii* theol. Homilet. Archivarius p. 49. quibus ex recentioribus nonnullos adiicere iuuat, *B. Frommannum*, qui variis dissertt. et programmatt. *de Topice Pauli, Mathaei* rel. inscriptis in hac materia versatus est, *B. Imm. Hofmannum* in variis dissertt. et *in demonstratione euangelica per Script. consensum in oraculis e V. T. in N. allegatis*, cui eiusdem editor *Hegelmaier* dissert. de hac materia praemisit, *I. D. Michaelis* in der Einl. in die göttl. Schr. des N. B. Tom. I. p. 205—241. in edit. formae 4tae, *Glassii* philol. S ed. Dathii T. I. p. 1387—1403. et dissert. *de locorum V. T. in N. accommodatione orthodoxa* Praes. C. F. Bahrdtio Lips. 766. habitam.

(ff) Vide eius Bibl. Theologie T. I. p. 135. sq.

(gg) *I. Clerici* verba hic legere forte non poenitebit ex *Hammondi* N. T. ad 1 Cor.

citata oracula ad materiam probandam et confirmandam allegari, disquirendum eſt, quo modo neruus probationis ducatur, num forma argumenti a pari, an a ſimili, ab exemplo, ab appoſito, a minori, a maiori, ſumatur. Sunt quidem, qui putant, rariſſima eſſe exempla, vbi in probationibus eiusmodi dicta, quibus idem ineſt ſenſus, ex V. T. adferuntur, quod mori ſatis conſueto et praeprimis inter Iudaeos vſitato, argumentis κατ' ανθρωπον inſtructis differendi tribuunt. Contra vbi vaticinia allegantur, quorum impletio oſtenditur, rationes adeſſe debere autumant, vnde appareat, dictum eiusmodi citatum et in V. T. de eadem perſona vel facto, cuius gratia profertur, agere. Optime ii in hac parte agere videntur, qui hic generalibus praeceptis non nimium confidunt, nec iis tantum tribuunt, quantum alias tribui ſolet et ſaepe quoque debet, ſed in ſingulo quouis caſu explorandum eſſe iubent, quid veritati magis, quid minus conſentaneum eſſe pateat. In nonnullis enim locis, vbi probatio rei tractatae ex dicto V. T. allegato inſtitui videtur, omnibus ſubſidiis bene interpretandi rite adhibitis apparet, verba in V. T. libro obuia neutiquam eodem ſenſu ſumi poſſe, quo in N. proponuntur. Nec putarem, probationes κατ' ανθρωπον efformatas ex libris ſacris prorſus exſulare poſſe. Hic illic vere eas adeſſe credam, vtpote quae etiam ab aliis auctoribus ſemper ſuo iure adhibitae ſunt et quotidie adhibentur. Et quod ad eas pertinet allega-

1 Cor. I. 20. Tom II. p. 78: *Si attendamus, animaduertemus Eſaiam ad teſtimonium Euangelio praebendum citari duntaxat verſ. 19. ex Cap. XXIX, 14. verba vero ſequentia verſus 20 petita ex Eſaiae Cap. XXXIII, 18 non vt quidquam probent, ſed tantum vt iis Paulus vtatur, ad mentem ſuam exprimendam, quaſi ſuis. Quemadmodum Graeci et Latini ex ſuis Poëtis varia paſſim mutua ſumunt, non vt quidquam eorum auctoritate probent. ſed vt eorum verbis elegantius quidpiam exprimant, quam ſuis: ita et Hebraei ſolent paſſim Veteris Teſtamenti verba, ſimilem in vſum, proferre. Quemadmodum autem Graeci et Latini liberrime Poëtarum ſuorum dicta in alienos ſenſus detorquent, modo iis non abſurde aptari queant: ita et Hebraei ſolent. Innumera eiusmodi occurrunt apud Thalmudicos, et Myſticos Interpretes Scripturae. Eum etiam vſum fuiſſe illis antiquiorem liquet ex* Philone, *qui vix aliter Scripturam laudat. Quod cum eſſet tempore Apoſtolorum receptum, non mirum eſt, ſi aeui ſui morem ſequuti ſint, cui mori mali quidquam ineſſe nemo dixerit. Exemplum eiusmodi citationis inſigne habemus Rom. X. vbi de iuſtitia Euangelica Sed ſunt ea loca deligenter ſecernenda a locis, ex quibus aliquid probatur, aut conſectarium quodpiam deducitur.*

allegationes, in quibus vaticinii olim editi complementum adſtrui videtur, etiam in his quasdam ſic comparatas eſſe autumo, vt vaticinium de ea, quae tractatur, re haud contineant, licet hoc appareat, ſententiam ſcriptoris ſacri in N. T. perquam commode iisdem exprimi poſſe verbis, quibus ſcriptor diuinus in V. T. de alia re vſus eſt. Nec vllam inde rei chriſtianae, quae ſolum veritate nitens vigere poteſt, iacturam pertimeſcendam eſſe credam. Multos in hac re fefelliſſe videntur ſolitae allegationum formulae, *ινα πληρωθη, ουτως επληρωθη γραφη* rel. quas non eundem ſenſum ſemper admittere, quo in ſcholis ſyſtematicorum adhiberi ſolent, ſaepe et res ipſa docet, et *Surenhuſius* in notiſſimo de hoc argumento libro pluribus monſtrauit, cui *Fr. Junius* in parallelis Sacris et *Waehnerus* in antiquitt. Hebr. iungi merentur. A permultis iisque digniſſimis Theologis formulas has allegationibus praemiſſas non veri vaticinii impleti indicia haberi, ſatis notum eſt. Vnicum et tutiſſimum hic verum inueniendi medium hoc eſſe videtur, vt de quouis allegato in V. T. disquiratur, quonam ibi ſenſu ſumendum ſit, num remotius N. T. tempus an aliud propius aeuum reſpiciat, num de Meſſia an alio minus auguſto vel rege vel propheta agat, num Iudaici, an olim formandi populi chriſtiani, an vero alius gentis fata adumbret rel. Et ſi de hoc ſatis conſtat, (de quo quidem ſatis tuto conſtare poſſe non facile negabitur, dum et ſermonum nexus, interior rerum deſcriptarum ratio, ſtilus prophetis proprius et plura alia verum ſenſum detegendi ſubſidia haud latent, licet concedendum ſit, difficultates iuſtae tnterpretationis V. T. vario reſpectu grauiores eſſe iis, quae negotium hoc in N. T. impedire poſſunt) patebit, vtrum allegatum in N. T. non niſi accommodatio ſit, an iuſtam rei tractatae probationem contineat, an veri vaticinii de eadem re complementum exhibeat. Obſtitiſſe huic explicandi modo videtur canon ille notiſſimus et plurimis probatus, qui ſcilicet V. T. ex Nouo explicandum eſſe iubet. Verum etſi regula haec ſuo ſenſu omnino vera ſit, vix tamen ea impediri poteſt, niſi iuſtis cautionibus lex haec circumſcribatur, quo minus via ad iuſtam explicationem V. T. vario modo minus expedita reddatur. Si allegationes in N. T. ex V. factas ad hanc normam metiri mos obtineret, numerus vaticiniorum N. T. tempora reſpicientium vtique minor fieret. Cur vero illa numerare,

quam ponderare mallemus? Nimia argumentorum, quae ſobria disquiſitio ad rem ſubſtratam parum idonea eſſe monſtrat, coaceruatio vbiuis, praeſertim vero in Theologia reiicienda eſt, cuius quippe progreſſibus peruerſa haec methodus haud leuia damna inflixit et infligit. Praeterea nec eſſet, quod de hac iactura magnopere doleremus, cum varia in V. T. exſtare monſtrari poſſit loca, quae in N. T. haud citata deprehenduntur, et quae non niſi de Chriſto et re chriſtiana intelligi poſſunt, niſi ſtatuere velis, ſtilum ſcriptorum ſacrorum V. T. paſſim in deſcribendis rebus minoribus ſummo nimioque tumore inflari, et ſic humanis diuina parum congrue admiſceri. Hic illic methodum hanc vaticinia V. T. in N. haud citata exquirendi Theologis nonnullis arridere, ipſosque in hoc capite haud infeliciter rem chriſtianam agere, variorum (Amyraldi, Witſii, Rambachii, Erneſti, Moſchii, Cubii) ſcripta monſtrant. Nec crederem, ab apoſtolis exigi poſſe, vt perfectum vaticiniorum indicem exhiberent, quippe qui, etſi ea, quae pro conſilio ſuo adferenda erant, adferre haud neglexerint, auditores et lectores ſuos paſſim ad oracula V. T. proprio ſtudio vlterius ſcrutanda, ipſi adhortati ſunt. Proinde *Eniedinus* vltra conſilium apoſtolorum ſapere videtur, ſi in lib. cit. p. 79. ad Pſ. XCVII. 8. haec habet: *Non debemus eſſe ipſis apoſtolis prudentiores vt ea quae ipſi de Chriſto non citarunt, nos citare audeamus.* Quibus conſona tradit ad Pſ. XXII. 17. p. 64: *Quanquam nullus vnquam Apoſtolorum et Euangeliſtarum hunc locum pro Chriſto citauit. Cum tamen longe his vt videtur alieniora ex aliis ſcripturae locis, atque plurima etiam ex hoc eodem Pſalmo depromta ad paſſionis Ieſu hiſtoriam accommodauerint. Qui ergo haec verba nimis pertinaciter vrgent, et quoquomodo ad Chriſti paſſionem torquent, et audaciores et ſapientiores ſe ipſis apoſtolis eſſe oſtentant.* Similia idem profert ad Pſ. LXXII. p. 72: *Tantum abeſt vt totus hic pſalmus ad Chriſtum pertineat, vt nullus Euangeliſtarum et Apoſtolorum vllam ſententiolam hinc depromtam Chriſto applicarit. At illi ſollicite et diligenter locos illos ex V. T. qui ad Chriſtum videbantur pertinere, collegerunt et citarunt. Vnde apparet, iudicio Euangeliſtarum et apoſtolorum nihil hic eſſe quod ad Chriſtum pertineat.* Vniuerſalis tamen in hoc argumento Theologorum conſenſio vix ſperari poterit, niſi ſtudium vel antiquitus


traditis

traditis vel nouiter inuentis et recenter innouatis ſolum adhaerendi deferbuerit, et niſi feruor maiori ingenuitate in veritatem inquirendi, quam de eadem, qualicunque id factum fuerit modo, reperta gloriandi reuixerit.

§. XV.

Doctrinam de ſenſu myſtico generatim ſpectato et ſpeciatim in prophetiis obuio, non vltimum tenere locum, inſtitutiones hermeneuticae ſacrae et labores multorum exegetici abunde docent. Iam quaedam, quae ad Socinianorum methodum materiam hanc tractandi faciunt, adferemus. Primum ex *Brenio* ſpecimen adferamus, qui Ioh. V. 28. 29. per ſepulcra intelligit ſtatum indurationis populi Iudici, ſic ſcribens: *et ita e ſepulcris ſuis i. e. ſtatu indurationis, in quo hactenus degunt, egredientur. Per* Φωνὴν *intelligit Euangelium.* Opus non eſt, vt ipſi explicationem hanc diſcutiamus, cum iam *Schlichtingius* eandem refutauit, quem ſic ſcribentem legimus ad hunc locum in lib. cit. T. I. p. 43: *Sunt qui haec verba de ſpirituali reſurrectione interpretantur: ſed primum haec verba manifeſtam continent explicationem iudicii, cuius faciendi poteſtas data eſt Filio, quod ultimum illud imprimis eſſe, dubium non eſt: neque enim reticere poterat rem omnium maximam et maxime admirabilem. Deinde in ſpirituali reſurrectione illi tantum reſurgunt, qui mala fecerunt; at hic reſurgent etiam qui fecerunt bona. Tertio; qui ſpiritualiter reſurgunt, non reſurgunt in damnationem, nec reſurgunt immediate in vitam aeternam, ſed in vitam ſpiritualem et nouam. At hic agitur de reſurrectione aliorum in vitam aeternam immediate, aliorum in damnationem. Neque hic res eſt de iis, qui poſt reſurrectionem bona vel mala agunt, ſed de iis, qui ante reſurrectionem bona vel mala egerunt. Eſt enim in Graeco* ποιήσαντες πράξαντες, *praeteriti temporis. Haec igitur Chriſti verba manifeſte et diſerte docent, non tantum bonos reſurrecturos ad vitam, ſed etiam malos ad damnationem et poenam, Quae altera pars eſt Chriſtianae fidei; quam qui non habet, totam fidem Chriſtianam non habet.* De pretio, quod ſenſui myſtico, quem quidem argumentatiuum eſſe plurimi Theologi negant, tribui debet, haud male *Eniedinus* diſſerere videtur l. c. p. 110: *In eo omnes omnium aetatum docti conſenſerunt, dogmata fidei ſtabilienda eſſe ex*


ſenſu



sensu litterali non mystico, qui varius esse pro ingeniorum diuersitate potest. Ergo qui dogma condere aut confirmare vult, non debet mysticas explicationes consectari, sed literalem sensum qui omnium interpretationum est fundamentum in medium proferre. Idem ad 2 Reg. VII. 14. p. 50. haec habet: *Hic locus si historicam et literalem explicationem sequamur, qui solus interpretandi scripturas modus dogmata confirmare potest, de Salomone loquitur,* et p. 51. sic pergit: *Quod ergo partem huius prophetiae apostolus Christo applicat: facit non historice sed mystice, et in sensu spirituali ac Allegorico: Qui modus interpretandi scripturas cum aliis N. T. scriptoribus vsitatus, tum praecipue huius epistolae auctori peculiaris est. Solomon ergo cum typus esset Christi, id quod de illo historice dictum et completum est, Christo ipsi in N. T. mystice applicatur. — Notum est, huiusmodi mysticas interpretationes nihil habere ad confirmandum dogma vllum roboris.* Idem ad Ps. XLV. l. c. p. 70. sic scribit: *Itaque sciendum est, haec, sicut totum Psalmum, de Solomone et eius nuptiis esse scripta, et literaliter de eo esse cantata, sed mystice et spiritualiter Christo applicari posse. Sicut etiam auctor epistolae ad Hebraeos, tum hunc, tum alios locos mystice in N. T. ad Christum, non illum aeternum piis et scripturae ignotum, sed Mariae filium, hominem transfert. Ex quo interpretandi genere, nullum firmum ad probandam Christi Deitatem aeternam praesidium depromi potest.* *I. Crellius* l. c. ad Math. I. 23. T. I. f. 17. haec habet: *Quare nihil est dubitandum, in verbis illis e cap. 7. a Mathaeo hic citatis, sermonem esse de puero, qui tempore Esaiae prophetae, et Achazi regis Iudae, conceptus natusque fuerit. Sed haec nihil obstant, quominus idem locus a Mathaeo ad Christum, eiusque admirabilem natiuitatem, rectissime fuerit relatus. Etenim, vt in aliis multis locis de Messia praesertim loquentibus, duplex est sensus, literalis nimirum, seu historicus, et mysticus: quod nec veteres illos Iudaeos, cum quibus Christo et Apostolis res fuit, ignorasse aut negasse apparet, nec hodie a Iudaeis penitus negari potest, qui diuersos eorundem verborum sensus esse posse vltro confitentur; ita etiam de hoc loco statuendum est: et tanto quidem magis, quod non obscura, sed satis aperta, eius sensus in hac prophetia extent indicia, verbaque ita sint comparata, vt non nisi duriter, ac sensu valde*


tenui,

tenui, ad puerum Esaiae tempore natum accommodari queant. *Idem* ad Math. II. 23. T. I. f. 32. sic: *Prophetica nonnumquam verba, et quidem de ipso Christo loquentia, duplicem habere sensum dicimus, quorum uterque Christo conueniat, et uterque a diuino Spiritu iisdem verbis comprehensus fuerit. Patet id ex verbis Esa* 53. 4: Languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portauit, *quae Mathaeus infra cap.* 8. 16. 17. *tum impleta fuisse ostendit, cum Christus e multis a daemone obsessis verbo spiritus impuros eiecit, et omnes male habentes sanavit: cum tamen satis ex Petro constet cap. 2. Epistolae I. circa finem et ex ipso phrophetae loco ab omnibus fuerit intellectum, sermonem ibi esse de hominum peccatis, et peccatorum reatu ac poenis, quibus homines erant obnoxii: et tum illa verba fuisse impleta, postquam Christus, morte sua interveniente, ius remissionis peccatorum nobis peperit, et nos a peccatis ad iustitiae studium traduxit. Exemplo etiam esse possunt illa Psal.* 16. *verba:* Non dabis sanctum tuum videre corruptionem, *quae in Actis citantur, partim a Petro cap.* 2. 27 *et* 31. *seqq. partim a Paulo cap.* 13. 34. 35. *et ab vtroque ad Christum referuntur, non eodem plane sensu. Petrus enim eo verba illa refert, quo*d *Deus non permiserit, vt Christi caro corrumperetur, seu computresceret, sed prius Christum e mortuis excitarit, antequam ea corrumpi posset; Paulus vero eo refert, vt ostendat, Christum ita resurrexisse a mortuis, vt non amplius revertatur in corruptionem, hoc est, non amplius moriatur. Vnde apparet, vocem* corruptionis *alio atque alio sensu ab utroque Apostolo sumi. Idem* ad Math. III. 3. T. 1. f. 36. ita: *Subest autem toti huic loco duplex sensus, quorum alter alterius typus est. Prior, qui literalis est, ad ea spectat tempora, quibus Israelitae e captiuitate Babylonica in patriam essent reducendi: posterior ad tempora Christi, quibus populus Iudaicus, ac postea caeteri quoque mortales essent e captiuitate peccati ac mortis, caeterorumque hostium spiritualium, ad coelestem illam patriam deducendi.* Et nonnullis interiectis addit ibidem: *Quanquam vero in sensu literali spectatur Deus, non vt ad populum Israeliticum, sed potius vna cum populo per desertum e terra captiuitatis adveniens: in sensu tamen mystico, spectatur potius tanquam ad populum veniens, non cum populo.*



Idem ad Rom. III. 10. T. I. f. 103: *Animaduertendum est*, inquit, *vt aliis plurimis scripturae locis, quae Paulus ad suum institutum citare solet rta et his verbis duplicem esse sensum. Alterum quem literalem aut histolicum vocant, alterum mysticum. Si literalem spectes sensum, Propheta loquitur de hominibus generatim, sed maxime de populi diuini piorumque hostibus, vt locus ipse aperte indicat, vide versum quartum, et deinceps vsque ad finem Psalmi. Itaque istis hominibus opponit* generationem iustam *vers.* 5. et Dei plebem *seu* populum. *Sed mystico sensu, quem verba ipsa per se considerata postulare omnino videntur, intelliguntur omnes in vniuersum homines, quatenus adhuc a Christo sunt alieni et extra eius populum adhuc viuunt: catenus enim homines omnes hoc loco ab apostolo considerari praecedenti versiculo monuimus.* Idem ad Hebr. I. 5. T. II. f. 78, sic: *Haec verba, quemadmodum et priora Psalmi* 2. *mystice ad Christum referuntur, literaliter ad alium: illa quidem, vt diximus, ad Davidem; haec ad Davidis filium Salomonem, (qui etiam Christi typus fuit) quemadmodum et ex loco vnde sumta sunt, nempe* 2 *Sam.* 7. 14. *cuiuis apparet, et ex verbis proxime consequentibus, quae Christo accommodari non possunt.* Ex allatis quodammodo patebit, quaenam Socinianis de mystico sensu et prophetiis mystice explicandis sit sententia. Simul apparebit, pluribus Theologorum eandem de hac materia sententiam stare, licet in singulis locis et vaticiniis dissentiant, num literaliter an mystice tantum Christum respiciant. Totum vero hoc de sensu mystico argumentum, nondum sic tractatum vidi, quin multae labes inde delendae remanerent. Nam certe in ruspando hoc sensu plures magis pios lusus instituere, quam seria, quae decent, serio agere videntur. Iure suo ab hoc sensu orationes allegoricae, narrationes parabolicae, instituta vere typica, actiones symbolicae, porismata seu consectaria practica excipiuntur, quorum vtpote sensus partim literalis tropicus est, partim non in verbis, sed in omni rerum verbis declaratarum serie latet, partim ex sensu literali prono alueo fluere debet. Qui sensum mysticum, non nisi his inesse statuunt, a vero non aberrare putandi sunt, et sola denominatio incommodis laborare videtur. Verum plurimae institutiones hermeneuticae S. aliam rei faciem exhibent; quae

notior eſt, quam vt hic vberiori explanatione indigeat. Ad conſilium Spiritus S. plerumque prouocari ſolet, quem praeter ſenſum literalem myſticum addi voluiſſe multi ferunt. Sed modus, quo conſilium hoc detegere et tueri volunt, plane incertus quin noxius eſt, et ſapientia haec, quam diuinam eſſe portendunt, plerumque perquam humana, ſaepe vel ridenda vel lugenda apparet. Num allegationes ex V. T. in N. factae conſilium hoc diuinum indicent, valde dubium eſt, ſi quae de iis in ſuperioribus adtulimus perpenduntur. Illuſtre quidem ſenſus myſtici exemplum et praeſidium ſumi ſolet ex 1 Sam. XX. 19. ſq. Sed modus quo hic ſenſus myſticus Ionathani et Dauidi ex mutuo praeuio arbitrario pacto innotuit, ab iis modis maximopere diſtat, quibus nunc myſtica indagare mos obtinuit. Digna videtur quae hic adferatur de hoc argumento *Dannhaueri* ſententia in *idea bon. interpr. et malit. calumn.* p. 61: *Quemadmodum David hoc ſigno viſo nunquam ominari potuiſſet, ſibi fugiendum eſſe, niſi iam ex compoſito a Ionatha edoctus fuiſſet, vt hoc ſignum tali modo interpretetur: ita nobis eiusmodi vel typi vel allegoriae ad ſenſum Sp. S. nunquam deducunt, niſi ipſe reuelet, hoc ſe tali ſigno intendiſſe myſterium.* Illa ſane ratio, qua ipſa oracula diuina ſenſum hunc quaerendum eſſe innuere perhibentur, admodum lubrica eſt, nec ex Scriptura ipſa certi quid in hac methodo obſeruanda depromi poſſe conſtare videtur. Valde infirmum et iuſto frequentius traditur argumentum, quo tunc ad myſtica confugiendum eſſe edicitur, *ſi verba in applicatione ad ſubiectum literale non conſequantur ſuam emphaſin, ſed ſenſum admodum debilem offerant, aſſumto autem ſenſu myſtico plena emphaſis orationi competat.* Studium hoc, vbiuis fere in Scripturis ſacris emphaſes venandi apud multos quidem iam deferbuit, poſtquam abunde a nonnullis monſtratum fuit, fontes, vnde promanare cogebantur, haud ſaluberrimos eſſe. Multorum vero adhuc palatum cupediis his emphaticis nimium in modum delectatur. Si myſtica vere ibi latent, vnde a multis protrahuntur, non video, quo modo Scripturae auctor a ſtudio ambigue et obſcure loquendi immunis vindicari poſſit, niſi ipſe lectoribus ſuis de peculiaribus legibus proſpicere voluerit, ad quas ſenſum hunc, quem ipſe in verbis abſcondere voluerit, eruere

possent. Nec video, quomodo hic, qui mystica adeo strenue sectantur et amant, suspicionem de sensu vere duplicando, quem tamen vnicum esse grauissimae rationes euincunt, a se dimouere possint. Nam si excipiunt, sic non duplicem sensum, sed sensus vnius compositi duas diuersas partes statui, rem suam praesidio satis infirmo tuentur, et nubem pro Iunone captari iubent. Meritissimi *B. Rambachii*, cui institutiones Hermeneuticae S. suo tempore haud parum debuerunt et hodie debent, libellum *de sensu mystico* relegi, sed duodecim illa sancta latibula, in quibus potissimum sensum mysticum hospitari contendit, vnde prudenter ac sobrie protrahendus sit, spuria visa sunt. Et interna et externa, quae proposuit sensus mystici criteria, variam a vero deflectendi occasionem relinquunt. Nec cautelae, quibus studium hoc mysticum sobrie tractari vult, tutum designant locum, vbi pes firmus consistere possit, amplum potius hinc illinc pro lubitu diuagandi spatium aperitur. Digna videtur materia, quae singulari tractatione disquiratur. (hh) *B. G. T. Zachariae* de materia

(hh) Quaedam interea ex dicto ***Rambachii*** libello hic subiungimus, in quibus legendis dolentes meditati sumus, quamnam vel scientiae suae, vel mansuetudinis christianae indolem conspicuam dederit. Heec habet p. m. 77. 78: *Requiritur in eo, qui hoc studium cum sensus literalis inuestigatione prudenter coniungere et in ecclesiae commodum tractare cupit, non ingenium modo, singulari sagacitate praeditum, et subacto iudicio suffultum sed familiare etiam cum spiritu sancto commercium, qui, tanquam* πνευμα σοφιας και αποκαλυψεως *Eph. I, 17. oculos mentis collustret, vt* σοφιαν εν μυστηριω *introspiciant, et ad arcana Dei consilia, quae non nisi amicis patefiunt, cognoscenda propius admittantur. Velamen enim, quod in lectione Mosis cordi incumbit, Paulo teste, non aufertur, nisi in conuersione ad Dominum,* et p. 79.: *Cauendum est*, inquit, *ne omnibus promiscue haec talia proponamus. Non enim omnium captus ad haec accommodatus est, sed valent hic monita Domini: Qui potest capere capiat. Math. XIX, 12. Et: Qui habet aurem, audiat. Apoc. II, 7. Prohibuit magister noster, ne sanctum canibus detur, neque margaritae profundantur porcis. Vbi, iudice Vitringa in obseru. sacr. lib. VI. p. 458. per Sanctum et Margaritas designauit Dominus dogmata sapientiae coelestis magis recondita, interiora, secretiora, sublimioris contemplationis, minime adcommodata ad omnium captum, nedum profanorum et carnalium hominum, quibus proposita riderentur, non crederentur. Vult igitur discerni ingenia hominum, quibus haec mysteria, licet verissima, instar depositi committenda sunt: An modesti, placidi, subacti, prudentis; an vero superbi, arrogantis,* δοκησισοφα, *profani ingenii sint, apud quos dissertatio de his mysteriis instituatur.*

materia hac verba addere iuuat: Giebt es einen solchen (mystischen Verstand) in der Bibel, so mus man von ihm in der Hermenevtik handeln und man würde hieran selbst den deutlichsten Beweis gegeben haben, daß es eine ganz besondere biblische Hermenevtik gebe, die bey andern menschlichen Schriften nicht angewandt werden könne. Es wird aber auch ganz mit Unrecht, der heiligen Schrift dieser doppelte Verstand beygeleget, indem alles was darin richtig ist, blos darauf ankomt. Es haben manche erzählte, und vorgeschriebene Handlungen eine weitere Absicht, als in den Worten und Ausdrücken angezeigt sey, nemlich etwas von zukünftigen Veränderungen in der Welt abzubilden, so aber zur Absicht der Handlungen, die in den Worten nicht ausdrücklich angegeben ist, sondern aus andern Gründen erst untersucht werden mus, und folglich gar nicht zum Verstande der Worte gehöret, daher dieses in der Lehre von den Vorbildern des A. T. abzuhandeln ist. Andere Arten des mystischen Verstandes kommen gar nicht in besondere Betrachtung. Bibl. Theol. T. I. p. 7. Quod in specie ad vaticinia, quae sensu mystico Christum respicere perhibentur, attinet, multo tutius, et melius agi videtur, si haec fere omnia mittimus. Nec grauis foret iactura, cum numerus multo grauiorum sufficiens supersit, quae sensu litterali retento apertissime de nullo nisi Christo solo explicari possunt. Quidnam quaeso detrimenti res Christiana caperet, si e. g. 2 Sam. VII, 12 — 16. nec literaliter nec mystice de Christo agere, sed solum ad sobolem Dauidis naturalem referri statuitur? Praeterea sic cauetur, ne, dum veris improbabilia miscentur, vtraque corrumpantur et perdantur. Verum de hoc capite hic duorum optime de Theologia promeritorum Theologorum, quam nostris verbis dicere malumus. *B. E. A. Frommannus:* (ii) *Rectius*, inquit, *ab aliis haec sensum Scr. S. multiplicandi ratio*, *propterea quod interpretationem eius incertam reddit*, *est improbata*, *nullisque in locis concessa aliis*, *nisi de quibus indiciis haud obscuris ostendi queat*, *typum in illis contineri*, *quo casu typici sensus praeter literalem admittendi necessitas omnino existit*, *qui tamen ne quidem accurate satis sensus dici potest.* — *Loca alia*, *vbi typi non sunt*, *et ex V. T. in N. de Christo laudantur*, *vel* κατα

 ϱηϑον

(ii) *In examine hypotheseos Ioh. Iortini de duplici nonnullorum vaticiniorum V. T. sensu*, in opusc. philol. et hist. p. 148.

ρητον de eo tanquam vaticinia exponi debent, vel per argumentationem aliquam ad rem praesentem sunt accommodanda. Et celeberr. *I. A. Ernesti* (kk): *Primum igitur*, inquit, *arbitror*, *analogiam vniuersam minimeque dubiam V. T. hoc postulare, vt non valde multis locis prophetias de Christo credamus esse κατα ρητον et κυριως propositas: quasdam esse oportet, quae characteres historicos omninoque tales habeant, per quos de Messia, cum venisset, plane iudicari et ipse agnosci posset, vt supra diximus; quales esse, nemo dubitet, aut negauit vnquam: earum porro oportet esse numerum talem, qui sufficiat, et ad agnoscendum et ad conuincendos aduersarios veritatis. Sed an oportet eas necessario multas esse? Nuspiam numerantur argumenta, sed ponderantur. Et nos cum docemus, Messiam venisse, et in Iesu esse characteres Messiae minime dubios, non modico numero prophetiarum defungimur? Enimuero ex altera parte fatendum ac defendendum est, prophetias mysticas esse permultas: nec vllo modo concesserim, eas esse illis, praesertim apud Christianum, leuiores. Ad Iudaeos quidem conuincendos in principio nihil admodum valeant: sed apud eum tamen, qui iam summam veritatis tenet, prodesse possunt.* Theologus hic dignissimus dum optime monet, prophetias mysticas apud Christianum non leuiores habendas esse, et huic potissimum, qui iam summam veritatis tenet, prodesse posse, haud obscure innuit, respectum horum vaticiniorum ad Christum ita demum ex N. T. patescere, vnde, vel ex allegationibus vel ex allusionibus ad haec olim edita oracula factis, ipsorum ad Christum relatio constet. Quo vero posito simul apparet, mysticum eiusmodi oraculorum (quae vere typica sunt eodem non referri velim) sensum vel in allegationibus N. T. ex V. pandi, quae autem curatius et cautius quam factum fuit iudicari debent, vel praeter illas in meris accommodationibus subsistendum esse. Nec spernendam hic esse regulam putem, quam in explicandis vaticiniis obseruandam commendat *B. G. I. L. Vogel* in differt. *de vsu hermeneutico locorum parallelorum, qui exemplis ex V. T. petitis illustratur* p. 20. (ll) vbi monet, *magnum in diiudicandis vaticiniis, an de Messia an de alia quadam illustri persona V. T. sermo sit,*

(kk) In narratione crit. de interpr. prophet. Mess. in eccl. christ. in opusc. theol. p. 528.


(ll) Halae 769. excusa est.

ſit, *ſubſidium eſſe attentionem ad temporis periodum*, *ad quam Vatum munus erat reſtrictum*, *quo tempore vixerint rel.* Simul legem hanc ad explicanda loca Mal. III. 1. et Ieſ. XL. 3. applicat.

§. XVI.

Poſſent adhuc quaedam addi de more Socinianorum *ſenſum* dictorum in quibusdam locis *multiplicandi.* Sic e. g. in *Cat. Rac.* p. 167. ſenſus petitionis quartae in oratione dominica hic adfertur: **In dieſer Bitte, bitten wir Gott erſtlich vmb die Gabe ſeiner Gnaden, dadurch unſer geiſtlich Leben geſterket und bekräftiget wird. Darnach um alle die notturft zur vnterhaltung des gegenwärtigen Lebens.** Praeprimis *I. Crellius* ſaepe diſerte indicare ſolet, huic illiue voci, propoſitioni eiusdem loci duplicem ineſſe ſenſum. Verum plerumque literali ſenſum myſticum adiungere videtur, quae quidem plurium ſenſuum coordinatio vel ſubordinatio pluribus adhuc Theologis probatur. Proinde ea ad disquiſitiones proprie hermeneuticas mittenda ſunt. Poſſent itidem nonnulla de vſu *epexegeſeos* in Socinianorum ſcriptis adiici, cuiusmodi quidem voces et propoſitiones, epexegeticas vel habendas vel non habendas eſſe haud raro ex ſtudio hypotheſeos ſuae contendunt, e. g. *Cat. Rac.* p. 249. *Oſtorodtius* p. 119. *Crellius* T. I. f. 36. *Schlichtingius* T. I. p. 21. *Eniedinus* p. 343. Verum et haec obſeruationibus hermeneuticis reſeruanda ſunt. Negari enim haud poſſe credo, cum epexegeſes eiusmodi in S. Scriptura perſaepe obuiae ſint, lacunam hic in Hermeneutica S. adhuc eſſe, qua ſupplenda leges ferri deberent, ex quibus iudicare licet, vbi de alia re ſermo inſtituatur, et vbi de eadem aliis verbis diſſeratur. Ipſe *Glaſſius* (ed. Budd. p. 2051. 1231. edit. Dathii p. 1382.) hanc quidem materiam tangit, ſed non iuſta vbertate tractat, dum vnam modo epexegeſeos ſpeciem enarrat, ſi ſcilicet tropicae dictiones propriis permutantur, qui quidem modus ſaepe adhibetur et perquam ſolitus, ſed nec praecipuus nec vnicus eſt. Vnum adhuc ex *Eniedino* addimus. Euictum et notum eſt, idioma graecum ſcriptorum ſacrorum neutiquam illa puritate nitere, quae in aliis ſcriptoribus graecis deprehenditur. Nec prorſus male igitur Eniedimus autumat, ſcriptores ſacros elegantiam loquendi neglexiſſe. Sed

ſpecimen,



ſpecimen, quo defectum horum leporum probare vult, in 1 Ioh. V. 20. vix eo pertinere poſſe putem, ſiquidem et ipſe ſimilem loquendi modum ex Virgilio, quem in hac parte negligentiae accuſare vix conuenit, citat. Verba Eniedini haec ſunt p. 432. 433: *Poſſumus dicere: Iohannem apoſtolum cum explicaſſet doctrinam ſalutis et eam in agnitione veri Dei patris, quae per eius filium facta eſt collocaſſet, concludere his verbis voluiſſe epiſtolam, et verborum ſenſum hunc eſſe,* hic, *id eſt, iſtud, haec res, iſta confeſſio, haec verba explicant et habent, verum Deum et vitam aeternam. Ita enim ſaepe ſolemus loqui:* hic eſt, *pro, in hoc conſiſtit, in hoc ſitum et poſitum eſt. Vt cum dixiſſet Poëta, ab inferis reuocare gradum, eſſe arduum, addit: hoc opus hic labor eſt. Sic Apoc. 13. v. 18. hic ſapientia eſt. Et cap. 17. v. 9. hic eſt ſenſus etc. Neque enim impedit, quod non in neutro genere, ſed in maſculino prolatum eſt,* οὗτος, *non autem* τοῦτο, *quia ſacri ſcriptores elegantiam loquendi, et has exactas Grammaticorum regulas nihil morantur. Sic dixit Ieſus Ioh. 17. cognoſcere Patrem etc.* haec eſt vita aeterna, *pro: Iſtud, hoc, in re iſta ſitum eſt etc.* Conf. Glaſſius in Ph. S. L. III. Tr. II. can. 18. ed. Budd. 728.

S. D. G.







